



0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 1

A 081 May

G.I.-1.

12
1-28





A 081 Mar

G.I.-1.

12
1-28





R D. 081

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU SACERDOTIS

BIBLIOTHECA
DOMESTICA
BONARUM ARTIUM
AC ERUDITIONIS
STUDIOSORUM USUI

INSTRUCTA ET APERTA.


O P U S

SECULI NOSTRI STUDIIS AC MORIBUS
ACCOMMODATUM.

TOMULUS VI.

DE MATHESI, AC PARTE
SECUNDA ASTRONOMIÆ, DE
QUE MEDICINA.

R
1325



CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
SUMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOP.
MDCCXLII.

II
C



LIBER IX.
DE
M A T H E S I.
—
P A R S II.
A S T R O N O M I Æ.
§. III.

Doctrina Theorica.

LXIII.

Cæli Systemata.

Motui sideribus proprio præmittere visum est cœli systemata & diversas hypotheses, utpote sine quibus ille vix intelligi aut explicari potest. Astronomiæ cultores non contenti, quod cœlorum naturam & dotes, ac si-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. IX. B b 2 de-

derum classes scrutati fuerint, nomina iis imposuerint, certisque inter se signis atque figuris distinxerint, priscis jam seculis animum adjecterunt, ut systema quod-dam excogitarent, quo cœlestia hæc cor-pora a centro mundi usque ad ipsum cœlum extremum sive empyreum velut in ordinem redigerent, persuasum haben-tes, hac ratione futurum, ut securius quoque certiusque tot tamque diversa eorundem phænomena, attonitis nobis in cœlo apparentia, explicari possint ac præ-sagiri. Magno itaque animo, majore-que conatu sunt aggredi opus tam ar-duum, quod initio quasi rude ac impo-litum, seculorum lapsu vero & observa-tionum ope magnis perpetim incremen-tis auctum, & nunc tandem numeris suis ab-solutum videri potest, non ita tamen, ut nihil scrutandum emendandumque po-steris supersit.

Est autem systema cœli, vel ut aliū vocant mundi, distributio quædam inge-niosa & verosimillima corporum, quæ mundus in se continet, seu hypothesis ad situm, phænomena, motusque cœle-stium maxime corpœsum explicandos, de-terminandosque. Rei huic fundamentum præcipuum præbuere triplicis generis ob-ser-

servations, quarum *Prima* omnium notissima est, qua solem, lunam & omnes stellas viginti quatuor horis circa terram ab ortu in occasum moveri videmus, idque dicitur motus primus, ut distinguantur a motu secundo, quem sol, luna & planetæ omnes diversis itineribus ab occasu in ortum conficere videntur, quorum motuum prior æquatoris, posterior Zodiaci seu Eclipticæ ductum sequitur. *Altera* est, qua siderum præsertim planetarum ordo, quis altero superior, quis inferior sit, fuit investigatus, felicique successu detectus. Negotium hoc Veteres jam in se susceperunt, sed rudi adhuc minerva: Verum recentioris ævi Astronomi accuratissimarum observationum auxilio illud penitus confecere. Inter alios Copernicus, dum anno 1529. die 2. Martii Lunam observaret, Venerem ab ea obtegi deprehendit: eadem Venus teste Keplero anno 1599. die 22. Januarii Mercurium conspectui subduxit: hic vero soli subjectus instar maculæ apparuit Hevelio anno 1674. die 26. Aprilis. Mars Jovem occultare visus est a Mæstlinno anno 1591. die 9. Januarii. Jovem sub Saturno stetisse anno 1563. testatur Kepplerus. Ex his modo luce clarius patet, Lunam terræ propiorem esse

esse Venere, hanc Mercurio, istum Sole: Martem propiorem Jove, & hunc Saturno. Mars etiam, si cum oculo & sole in eadem visus linea versatur, nunquam ante solem conspiciendum se præbuit; itaque hic quoque planeta post solem sequitur, & longiore intervallo a tellure distat, quamvis aliquando ad terram proprius quam sol ipse accedat. Denique a planetis sæpius fixas occultari deprehendimus, nunquam planetas a fixis: igitur has præ illis a terra remotiores esse, & supremum in cœlis locum obtinere oportet. *Tertia* eaque subtilior observatio est, qua (ut nihil de sole, luna, eorumque eclipsibus memorem) cæteri quinque planetæ non semper esse *directi*, seu directa ingredi via, scilicet non secundum Zodiaci signorum ordinem procedere sunt deprehensi, sed interdum esse *retrogradi* seu retrocedere, interdum esse *stationales* sive *stationarii*, ita ut aliquo temporis spatio apud easdem fixas hære-re divertereque videantur: rursum quod nunc magis nunc minus evagentur in Austrum & Boream. Præ reliquis autem superiores Saturnum, Jovem ac Martem observarunt a sole digredi, usque dum ei opponantur, & tunc semper esse retrogrados & aspectu maximos:

in-

inferiores vero, scilicet Venerem ac Mercurium non procul a latere solis descendere, illam quidem paullo plus quam sesquisigno, hunc ne integro quidem itaque solem aliquando antevertere, aliquando subsequi. Atque istae observationes certissimæ, communique Astronomorum calculo probatæ veram siderei ordinis dispositionem palam fecerunt. Quare his innixi fundamentis jam antiquiores Astronomi manum operi admoverunt; sed quamprimum in diversas sectas abiere, quarum altera terram mobilem, altera moveri nesciam velut in antecessum statuit. Posteriori adhæsit firmissime Ptolomæus, priori vero Philolaus, & post hunc Copernicus: medium autem viam quandam iniit Tycho Brahe. Ita inter varia cœli systemata tria imprimis sapientum adplausu & adprobatione fuerunt excepta, scilicet Ptolomaicum olim, nunc Copernicanum & Tychonicum.

Primum seu *Ptolomaicum* antiquissimis temporibus ubique civitate donatum, cui subscripsere Chaldæi, Pythagoras, Archimedes, Cicero, Plinius & plerique Arabum, terram in centro mundi constituit. Supra globum terræ statim occurrit atmosphæra seu aer crassior, variis tum

vaporibus tum halitibus permisitus, ubi colliguntur nubes, emicant fulgura, erumpunt fulmina, &c. Aereæ autem regioni continuo superstruitur sphæra ignis. Nam Veteres ignis tanquam corporis levissimi sedem velut stabilem super aera collocabant. His imminet cœlum lunæ, tum Mercurii & Veneris, dein solis, Martis, Jovis & Saturni, ac longo post intervallō fixarum orbitæ sequuntur, e terræ centro descriptæ. Agmen claudit *primum mobile* ut vocant, ceu motus, quo tota cœli machina volvitur, arbiter. Porro systema hoc & diurnum sphærarum motum circa terram in centro quietam, & proprium quoque priori contrarium, quem *Intelligentiæ* quædam moderantur, admittit. Simplicitate sua satis sese commendabat antiquis seculis hic ordo: sed a veritate alienum esse duo phænomena posteriore ævo detecta manifeste ostendunt: primum est, quod Astronomi compertum modo habeant, planetas subinde apogæos esse, seu a terra remotissimos, subinde perigæos, sive terræ propiores alterum, quod aliqui planetæ uti Venus & Mercurius, sape supra solem eluentur, læpe infra eum deprimantur: horum autem neutrum fieri posset, si idem omnium orbium cœlestium centrum foret, uti ter-

terram esse fundamenti loco ponebat Ptolomæus. Quare Ægyptii gens cœlo as-
sueta , erroribus hisce notatis, uti credi-
tur, emendando systemati memorato ope-
ram dedere ; & quidem ut posteriorem
tollerent , proprias Veneri ac Mercurio
orbitas non jam e terræ , sed solis cen-
tro descriptas adsignarunt : priorem ve-
ro ut elin inarent , diversos epicyclos ,
quos *concentricos* & *excentricos* adpel-
lant , pro inæquali & flexuoso planeta-
rum itinere complanando excogitarunt ;
atque ita in lucem prodiit sistema Pto-
lomaicum emendatum , quod calculo suo
probarunt Ægyptii , Vitruvius , Macro-
bius , V. Beda , Argolus cum plurimis
aliis , quodque per quatuordecim fere se-
cula in scholis primas tenuit .

Verum ubi cœlestia rimandi cupido
crevit , per varias observationes superio-
res quoque planetæ Mars , Jupiter & Sa-
turnus modo terræ propinquiores modo
remotiores ab illa esse , neque sistema
Ptolomæi sive simplex prius , sive emen-
datum posterius cœlo amplius congruere
deprehensum fuit . Itaque aliam Astro-
nomi viam ingressi sunt , inter quos Co-
pernicus Philolaum ducem , ut dixi , se-
cutus quum expositus hucusque plane-

tarum motus nimium quantum intricatus, tantaque siderum velocitas haud fide digna sibi videretur, novum systema excogitare vel potius instaurare vetus cœpit, quod ab eo *Copernicanum* dicitur. Sed vix non totam cœli machinam invertit, dum illam in ordinem redigere satagebat. Ei magno cum plausu præter alios assentuntur fere omnes, quotquot prioribus seculis Ecclesiam Dei, fidei morumque magistrum, reformare vel potius evertere conati sunt, non tam veritatis quam contradicendi studio ducti. Cœlum universum Copernicus fluida materia repletum esse contendit, planetarumque motum velut avium in aere aut pisium in aqua liberrimum. Quare solidis orbibus, quales Ptolomaicum sistema statuebat, merito exulare iussis circulos pro faciliore duntaxat planetarum cursus explicatione substituit. Fundamenti autem loco, cui totam ingenii sui machinam superstruit, ponit terram moveri, solem vero stellasque fixas quiescere. Hinc solem in centro mundi collat, regiæ suæ finibus nunquam excedentem, quamvis circa axem suum moveatur : terram vero inter planetas refert. Proximus solem circuit Mercurius spatio pene trimestri : hujus vestigia premit

mit Venus, quæ suum circa solem ambitum intra menses septem cum semissem absolvit. Sequitur magnus orbis, quem terra motu annuo peragrat, ipsa circa axem suum mobilis; luna vero circa telluris globum tanquam epicyclo seu parvo circulo intra mensem circumagit. Mars soli circumducitur, cursusque sui metam annis fere duobus attingit. Jupiter pari ratione Martem circuit, nec nisi annorum circiter duodecim spatio orbitam suam emetitur: quatuor hic secum circumfert affecias, quasi totidem lunas seu mavis stellas minimas, solo telescopio conspicuas, quæ una cum principe suo circa solem moventur, ita tamen ut peculiare circa Jovem iter conficiant. Ultimus Saturnus cæteros omnes planetas ambitu suo complectitur, viaque suæ finem imponit intra annos proxime triginta, stipante latus quinque satellitum cohorte. Planetas demum omnes stellarum fixarum & immobilium regio per immensum prope a prioribus spatiū remota cingit ac veluti coronat. Atque hæc plana systematis hujus expositio est: arcaniora quædam, uti de proprio solis circa suum axem motu, quo maculæ explicantur: de diurno terræ motu circa proprium axem ab occidente

versus orientem : de vorticibus solis & stellarum fixarum, &c. explicant passim Mathematici , monstrantque per figuras, maxime Keplerus & Cartesius , & qui hos sequuntur.

Supereft, ut systema quoque tertium, quod a Tychone auctore suo *Tychonicum* nuncupatur, & quod nunc omnes, qui a Copernico dissentient, amplectuntur, paucis exponam. Hic terram in centro firmamenti collocat, atque ex illo lunæ & solis stellarumque fixarum orbes describit : solem vero reliquorum planetarum centrum statuit, ita ut inferiores Venus atque Mercurius circa solem & una cum sole circa tellurem rotentur : superiores vero Mars, Jupiter ac Saturnus , si ex parte solis inveniantur , sint remotissimi a terra : ex altera vero parte eidem longe propinquiores ; ubi advertendum, circa Jovem alias stellas minores quatuor, circa Saturnum quinque, qui comites Jovis ac satellites Saturni dicuntur, non secus ac lunam circa tellurem moveri. Itaque hoc convenit Tychoni cum Copernicanis, quod planetarum centrum in sole figat, qui eorum *motus*, *stationes*, *directiones*, ac *retrogradationes*, ut adpellantur, omnino regit ac

ac moderatur. Disconvenit vero plurimum, quod ipsius solis, sicut lunæ, centrum in terra reponat, illique quietem restituat, &c. Plura patet hunc, ubi planetarum indolem ac mores accuratius inspecturi sumus. Quodnam vero ex his tribus, quæ recensui systemata, palam ferat, difficultate non caret. Primum seu Ptolomaicum veritati in aliquibus consentaneum haud esse, modo apud omnes in confessu est. Alterum Copernicanum quantumvis sit ingeniosum, & physicis aut mathematicis argumentis non adeo feliciter impugnetur (unde multi illud tanquam hypothesin excipiunt) sacrae tamen Scripturæ satis aperte contradicit, quemadmodum ingenue fatetur Sturmius, quamvis Acatholicus, & ex illorum Mathematicis celebratissimus. (q) Quippe S. Scriptura soli motum tribuit: *Oritur sol & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem.* (r) *Sol contra Gabalon ne movearis & luna contra vallem Acalon,* &c. (s) Subditque tanquam miraculum primæ classis: *Steteruntque sol*

(q) *In Physic. concil. sedt. prior. Cap. 5.*

(r) *Eccles. Cap. 1.*

(s) *Josue Cap. 10.*

sol & luna, &c. Moveri autem, reverti ad locum suum, gyvari quid aliud hæc phrases nisi solem moveri manifeste significant? terræ vero quietem eadem Scriptura adjudicat: *Terra autem in æternum stabit.* (t) *Fundasti terram super stabilitatem suam.* (u) *Firmavit orbem terræ.* (x) *Stare autem, fundari super stabilitatem, firmari* quid aliud nisi terræ quietem indicant? Nec est, quod Copernicani optice solum, & ut nobis adparet, non vere ac physice solem, dum Iosue pugnabat, stetisse afferant. An enim hoc idem in systemate suo de luna dicere audebunt? Scriptura tamen utrumque planetam eodem complectitur prodigo: *Steteruntque sol & luna.* Sit, quod S. Scripturæ locus iste sit intelligendus ita, ut optice ac secundum vi-sus nostri judicium duntaxat sol steterit, certe de luna, utpote quæ etiam in systemate illorum movetur circa terram, id intelligi nequit, scilicet quod pugnantे Iosue luna solum optice & secundum vi-sus nostri judicium ut dixi steterit: sed re ipsa & vere stetit. Quando igitur ait Scriptura *steteruntque sol & luna,* secundum Copernicanos eodem in loco ac tri-

(t) *Eccles. 1.*(u) *Psalms. 103.*(x) *Psalms. 92.*

tribus in verbulis duplex ac diversissimus sensus, loquendique modus lateret: *Stetit sol optice & prout nobis adparet, & stetit luna vere ac physice.* Quis non videt, quam alienum hoc sit a recta S. Scripturam interpretandi ratione? quam torta & indigna sacro eloquio sit hæc interpretatio, ac solummodo in favorem sententiæ, cui tam mordicus inhærent, excogitata? Nunquid meliore quin optimo jure inferri poterit: secundum Copernicanos luna vere movetur; itaque dum dixit S. Scriptura *Steteruntque sol & luna*, quemadmodum luna vere ac physice stetit, etiam sol vere ac physice stetit, vel neuter, sed uterque optice solum, quod veritati aperte repugnat. Evidem verum est, uti non raro S. Scripturam tropis aliisque quas vocant figuris, variosque sensus pati: at non quando historiam proponit, qualis est ista de pugna & victorijs Josue, atque miraculo, quod in ea accidit, nudisque verbis describitur: secus ipsam Josue pugnam totamque historiam denique ad tropos aut allegorias referre licebit. Sit sistema hoc simplex, ingeniosum, admirabile ut jactant, & cœlestibus phænomenis exesse consentiens, ex hoc illud solum sequitur, quod potuisset Deus habere ratione fa-

fabricare cœli machinam, & siderum orbitas atque semitas, non autem quod ita fabricarit. Non queritur autem heic, quid potuisset facere Deus, sed quid fecerit, & quomodo fecerit: atque hoc optime e sacræ Scripturæ verbis adeo claris intelligimus. Quare tertium, nemppe systema Tychonicum reliquis præferri meretur, quum omnia phænomena, licet fortassis non tam expedite, commode tamen explicet, simulque S. Scripturæ eloquio consentiat.

XLIV.

Motus siderum proprius.

Motus siderum omnium & singulorum proprius est ille, quo sub Zodiaco, super ipsius axem ac polos secundum seriem signorum, seu in *consequentia* ut loquuntur Astrologi, obliqua moveri via videntur. Exordium hujus motus tanquam radix & epocha longitudinis statuitur ab Astronomis punctum verni æquinoctii, sive prima quæ in ariete splendet stella. Quippe punctum istud medium obtinet locum inter maxima planetarum ab Æquatore modo in Austrum modo in Boream deviorum intervalla, sedes-

desque propria & stabilis est Æquinoctii, quum sole in eo hospitante universo terrarum orbi æqua diei noctisque obtinet portio: hinc quoque unanimi Astrologorum suffragio initium calculi ex illo ducitur, per reliquas anni totius partes progressuri. Motu hoc secundo stellæ omnes fixæ nihil immutata, quam inter se invicem tenent, distantia secundum Zodiaci viam sibi præscriptam ab occasu in ortum tardissimo gradu promoveri videntur, quovis nimirum anno minutis secundis ["] 51, quot hebdmadibus vero vix ["] 1, ita ut tota periodus annorum 25415. spatio primum absolvatur. Detexere hunc motum plurium seculorum observationes a viris peritissimis institutæ, qui primam Arietis stellam, quæ tempore Ptolomæi prope punctum Æquinoctii domicilium fixit, Tauri locum occupasse, translata quoque Tauri sede in Geminos, Geminorum in Cancrum, reliquorumque in succendentia signa, perspicue fatis notarunt. Primus qui longitudinum, quas fixæ observant, catalogum exhibuit, fuit Hipparchus Rhodius annis fere centum & viginti ante Christum natum: hunc emendavit Albategnius annis post C. N. octingentis octo-

ginta : alium an. 1437. substituit Ulugh Beigh Parthorum Indorumque Rex : novum anno 1600. Tycho de Brache condidit : sexaginta annis post ad hæc usque tempora fixas in locum sibi convenientem restituit Hevelius. Si per plura adhuc secula mundo superstite esse licebit, alios cœlestes globos in terris machinari oportebit. Quin ipsa quoque stella polaris, ursæ minoris caudæ inserta, quæ non procul a polo Arctico remota degit, variationis hujus expers haud est. Nam ab Hipparchi ac Ptolomæi temporibus ab occasu in ortum semper magis magisque ad poli punctum motu suo proprio accessisse fuit deprehensa, utpote a quo non pluribus quam tribus modo gradibus distat, dimidio solum circa annum Mundi (si tamdiu duraturus sit) 22820 ; quadraginta septem vero circa annum 15000, si fides Tabulis Prutenicis, rursus ab eo removenda.

Saturnus Planetarum supremus obliquo lentissimoque motu secundo incedere videtur ab occasu in ortum juxta signorum seriem, inæqualibus tamen passibus, ita ut aliquando appareat esse velox, post tardus, mox ac si staret, tum veluti si retrocederet ; quæ tamen inæqua-

qualitas si ad medium ut vocant motum revocetur, Saturnus periodum totam absolvit annis viginti novem & ultra. Ad dies & horas quod adtinet ac minuta, discrepant auctores ; hinc eorum calculum incertum tum in hoc, tum in reliquis planetis silentio prætereundum censui.

Motus Jovi proprius in qualitate convenit cum Saturno ; differt autem in quantitate periodi, quippe hanc absolvit annis fere duodecim.

Motus, quem Mars proprium tenet, simmiliter in qualitate non discrepat a duabus superioribus planetis, bene tamen in quantitate periodica : nempe absolvit periodum suam annis circiter duobus.

Motus, quem sol sibi vendicat proprium, est mediusr & simplicior reliquis omnium planetarum motibus ac regula cæterorum, utpote qui per lineam eclipticam super ejusdem axe ac polis secundum Zodiaci signorum seriem perpetuo incedit. Manifesta hujus motus secundi indicia sunt, quod non eundem semper locum ortu suo occasuque illustret, sed ex Australi plaga in Septentrio-

natem ascendat, rursumque a Septentri-
nali descendat in Australem : porro dum
Meridianum subit circulum, nunc vertici
nostro imminet, nunc ab eo longius re-
cedit. Oportet igitur, ut præter com-
munem quotidianumque motum alias
quoque proprius soli tribuatur, quo jam
in hanc, jam in illam partem deflectat. Pe-
riodum suam absolvit anno fere uno.

Venus motu sibi proprio solem cir-
cumvit ; ab occasu nempe tendendo in or-
tum secundum signorum seriem Zodiaci
ductum sequitur, ita tamen ut planeta
hic modo velox, quando soli adpropin-
quat, modo tardus, quum ab eo remo-
vetur, modo velocissimus incedat, quan-
do vel mane sub solis radios se se ab-
scondit, vel vespere se illis extricat, pa-
lamque splendescit. Matutino vesperti-
noque tempore, ubi a sole quam longis-
fime recedit, nimirum gradibus quadra-
ginta septem & minutis quindecim, stare
videtur ; intermedio autem eoque quo
soli jungitur tempore retrogredi. Inze-
quales hi motus si ad medios reducan-
tur, Venus periodum suam absolvit an-
ni dimidio & amplius, diebus nempe du-
centis viginti quatuor.

Mercurius pari ut Venus ratione, proprioque motu circa solem fertur, eoque inæquali; sed ita, ut non amplius quam viginti septem fere gradibus a sole recessat, sive antevertat illum sive sequatur. Hinc non facile sui conspectum nobis indulget. Periodum suam absolvit ferme anni quadrante, diebus scilicet octoginta septem.

Lunam planetarum infimum proxime terram circumire manifestum reddunt eclipses, quas superiores planetæ interjecto illius corpore patiuntur, item brevissima, certisque deprehensa indiciis periodus, quam sub Zodiaco ejusdemque axe ac polis secundum signorum seriem ab occasu in ortum prosequitur, quamvis magnopere inæqualem. Motus istius calculum vel a principio arietis ineunt Astronomi, ita ut menstrua periodus conficiat dies viginti septem cum septem horis; annua vero ultra duodecim *revolutiones* complectatur signa septem & gradus novem; diurna tres ejusmodi gradus: vel deducunt a tempore, quo plurimum removetur a sole, ac perigæa est; atque ita periodus menstrua erit dierum viginti novem cum duodecim horis; motus diurnus graduum trium: vel

desumunt ab Apogæo sive Anomalia, & prodibit menstrua periodus dierum virginis septem cum horis tredecim; motus diurnus vero graduum trium.

Exposito motu primo & secundo multum proderit, mirabilem utriusque harmoniam palam facere. Non pauci equidem fuerunt, præsertim ex antiquioribus, qui diu multumque in explicando dupli- ci siderum motu, communi ac proprio, seu primo ac secundo, luctati vel omnino succubuere tanto ut credebant ponderi, vel miris ambagibus usi rem potius tenebris pluribus involverunt, quam in lucem protraxere. Verum si Opticam in auxilium vocare libeat, brevi omnis difficultas quantacunque disparebit, & post nubila phœbus diem afferet. Sollicite quidem Astronomi motum hunc duplicum in sideribus distinxerunt, tum ut situs corporum cœlestium atque aspectus diversitatem clarius ob oculos ponerent, tum ut motus supputandi facilem ac certam inirent monstrarentque viam. At si rem, ut est, consideremus, unico stellæ omnes tam fixæ quam errantes motu licet diverso, ordinatissimo tamen ab ortu in occasum ferri palam est. Licet enim tacitis veluti gressibus paullatim ad or-

ortum retrocedere nobis videantur, ratio tamen apparentis hujus motus in promptu est, quia nimirum stellæ motu ab oriente in occidentem seu diurno 24. horarum abreptæ non omnino ad idem punctum Meridiani, a quo fuerunt, egressæ, revertuntur. Profecto constans docet observatio, fixas citius ad Meridiani metam singulis diebus pervenire, quam Saturnum: hunc citius quam Jovem: istum quam Martem, Martem cursu prævenire Venerem, ac Mercurium, Lunam vero lentissimo gradu subsequi. Unde apparent nobis, ac si orientem versus retrocederent motu proprio, id quod in Luna manifeste deprehendimus. Nam hæc dum nova est, vesperi una cum sole horizontem occiduum subit; triduo autem vel quadriduo post sole occidente longo versus ortum intervallo relicta cernitur, donec die decima quarta sole in occasum vergente ipsa demum supra horizontem ortivum emergere conspiciatur. Quod autem in luna, hoc pariter, diverso licet modo, tam in sole quam in omnibus aliis planetis ac stellis contingere sedula cœlestium rerum contemplatio patefacit. Ratio autem diversitatis hujus (nempe quod hoc motu cursum suum absolvat luna viginti novem

diebus, Venus fere ducentis viginti quinque, Mercurius circiter triginta octo, Saturnus vix non triginta annis, fixæ demum 25415 aut 28000 annorum spatio) ratio inquam diversitatis hujus ex velociore vel tardiore motu vero eorundem siderum petenda est. Quo enim magis sidus aliquod a terra distat, eo majori etiam ambitu seu circulo circumvolvit, (habent quippe se circuli, ut eorundem radii: radii autem circulorum, in quibus gyrantur sidera, nihil aliud quam ipsæ illorum a terra distantiae sunt) Quamobrem fixæ longius, immo longissime a terra remotæ intra idem tempus majus spatum, planetæ utpote telluri propiores, minus cursu suo conficiunt, atque ita illos velocius, hos tardius moveri necessum est. Quare ut paucis omnia dicam, singula sidera motus sui exordium ducunt a Meridiano versus occasum, sique ad eundem intra horarum viginti quatuor spatum non omnino redire liceat, contingit ut ea quæ tardius moventur, majore, quæ velocius, minore intervallo ab eodem Meridiano sejungantur. Itaque quum stellæ fixæ, tanquam omnium remotissimæ, velocissimo abripiantur motu, absolute eo, quem diurnum vocant, unico vix minu-

to a priore, quem post se reliquerant, Meridiani loco distare deprehenduntur: planetæ autem secundum cursus sui tardioris aut velocioris mensuram (nempe Saturnus minutis fere duobus, Jupiter quinque, Mars medio circiter gradu, Venus & Mercurius vix non uno, Sol gradu integro, luna denique tredecim fere gradibus) intra idem motus diurni spatiū versus ortum a Meridiano removentur. Patet igitur, sidera universa, dum motibus volvi contrariis adparent, uno eoque ordinatissimo motu per liquidas cœlorum semitas nulla re moram injiciente, aut cursui obstante circumferri.

Verum quamvis hæc ita se habeant, & motus omnium siderum unicus sit, multiplicem tamen exhibere denuo lectori policit doctrinæ theoreticæ ordo & claritatis studium. Atque in primis motus soli cum reliquo siderum choro communis, seu diurnus (quem motus *raptus* vocant) est, quo secundum probatissimas Astronomorum observationes una cum firmamento aut primo mobili ab ortu in occasum intra viginti quatuor horas ab ripitur tanta cum celeritate, ut unico horæ minuto 13471, hora integra

808260, diei totius intervallo 19, 618, 240 millaria conficiat. Menstruus vero motus dicitur, quo proprio sibi cursu ab occasu in ortum fere unum e duodecim notissimis Zodiaci signis non interrupta serie percurrit: Annuo autem, quo in ecliptica regredi ab occidente in orientem videtur, totum Zodiacum diebus 365 cum horis fere 6 (nempe 5 cum 48 & 45) perlustrat. Tardior est in apogeo, velocior quando in perigao versatur: quin talem quoque motum solis inæqualem non solum intra æquinoctia, quæ una semisse eclipticæ a se distant, verum etiam intra ejusdem eclipticæ quadrantes sagacitas Astronomorum deprehendit. Primum quidem observato magna cum cura utriusque æquinoctii tempore solem sub eclipticæ semicirculo, quo Boream spectat, octiduo diutius quam Austrum respicit, hærere notarunt. Hinc Ptolomæus, Tycho, Ricciolus aliique Astronomiæ heroes calculo suo dies centum octoginta sex, & fere medium statuunt, quos sol sub æquinoctio verno ad Autumnale, nempe ab Ariete ad usque Libram, impendat cursui suo: ab hoc vero usque ad vernum, nimirum a Libra ad Arietem, dies duntaxat centum fe.

septuaginta octo ac prope medium. Ratio hujus rei est, quod sol quidem in plano eclipticæ, in elipsi tamen aut circulo moveatur, cuius centrum est extra tellurem; & quidem ævo nostro in parte Boreali. Quare contingit, ut sol sit apogæus, hoc est, a terra longe remotior circa solstictium æstivum, quam circa hybernum. Apogæum solis hac ætate in signo cancri est; & illius motus admodum latus, quem intra annum

non plus itineris conficiat, quam i. 11. igitur quum centrum & major pars orbiculæ solaris nunc jaceat in hemisphærio Boreali, plures numeramus dies ab Æquinoctio Verno usque ad Autumnale, quam ab Autumnali usque ad Vernum. Dein præter Æquinoctii tempus illud quoque, quod sol ad punctum solstitii utriusque tam æstivi quam hyemalis tendendo conficit, inæquale deprehenderunt. Profecto inter alios teste Ricciolo, Viro in observationibus suis tam felici quam accurato, sol sub eclipticæ primo quadrante, nimirum ab Ariete ad Cancrum, cito movetur, quam sub secundo a Cancro ad Libram, scilicet sub priori diebus 92, horis. 23, minutis primis 52: sub posteriore vero diebus 93, horis 14. minutis

nutis primis 56. Jam vero investigare juvat, qua ratione tam motus soli communis, quam proprius inter se differant. Itaque sol indies motu raptus communis per 360 gradus ab Oriente in Occidentem defertur, iterumque reversus ad orientem nova quotidie vestigia relinquit, & puncta designat in horizonte tam *ortivo* quam *occiduo*, ut vocant, uti & in Meridiano, atque ita singulis diebus ab uno Tropico in alterum per circulos, quos spirales & parallelos dicunt, hinc boreales 182 $\frac{1}{2}$ inde totidem australes promovetur. Idem vero sol quotidie ab occidente in orientem non nisi unicum circiter in Zodiaco gradum absolvit, seu 59. 8. 19. 58. ex quibus modo patet, solem motu annuo proprio unam solummodo revolutionem, dum ab Æquatore hinc & inde ad Tropicos gradibus 23 $\frac{1}{2}$ declinat; motu vero raptus communis, spatio unius anni ferme 365 demtis minutis pati revolutiones, ex quibus annus solaris componitur. Neque duplex hic motus, communis in occasum & proprius ad ortum tendens, quamvis unicum re ipsa esse prius ostenderim, cœlestium corporum systemati remoram injicit. Luce clariora sunt exempla, quæ idem

idem corpus diversis, quin immo motibus etiam oppositis agitari posse demon- strant. Unum e multis ut in medium af- feram, intueamur hominem ortum ver- sus in navigio ambularem, quod interea fluminis alveo abreptum in occasum, vel aliam quamlibet plagam defertur. Ho- mo iste duobus motibus sibi invicem, ut prima fronte adparet, contrariis agitur. Quod si de Copernicanorum progenie Encelades aliquis accedat, ipsumque flu- men cum tota tellure circumagat, tribus omnino motibus idem homo in navi de- ambulans varias in plagas distrahetur, quin tamen vim ullam patiatur, aut mo- tuum continua series perturbetur.

A sole ad lunam digredior: occurrit heic imprimis motus ejus communis diur- nus, sive raptus, quo sidus hoc cum pri- mo mobili ab ortu in occasum majore quam 24 horarum spatio abripitur, cu- jus rei luculentum præbet testimonium, quum singulis noctibus una fere hora se- riis emergat ex horizonte, tardiusque gradibus 13. 10. 35. 48. Meridianum attingat. Sequitur menstruus proprius que lunæ motus, quo tum in, tum ex- tra Zodiacum ab occasu in ortum re- gre-

greditur 27. diebus, horis 7. minutis 43.
" " 4. 13. quapropter quovis die duodecim
gradibus 11. 27. orientem versus a sole
recedere videtur. Tandem annus est,
quo duodecies ferme Zodiaci spatum
cursu suo emetitur, dum interea sol se-
mel duntaxat id absolvit.

Planetis quoque reliquis (idem esto
judicium de sole & luna) præter mo-
tum quo ab ortu in occasum, & ab hoc
vicissim in illum tendunt, peculiaris tri-
buitur, cuius ope obliqua per Zodiacum
via jam ad unum, jam ad alium mundi
polum divertunt. Quippe cursu suo
non circulos, sed spiras describere de-
prehenduntur, quibus ad alterutrum
mundi polum quotidie magis magisque
accedunt. Ita sol qualibet die in aliis
atque aliis Zodiaci punctis obliquo per
eclipticam incedit itinere, ea qua in di-
versis quoque punctis horizontis quoti-
die oritur & occidit, ratione. Nec solo
motu *spirali* gaudent planetæ, verum
etiam recto, dum nunc ascendendo apo-
gæi seu a nobis plus remoti, nunc de-
scendendo evadunt perigæi, scilicet vici-
niores nobis. Atque hinc facili negotio
planetarum *accelerationes*, ut vocant Ma-
the-

thematici, *retardationes*, *stationes* ac *retrogradationes* explicantur. Nam si versantur in apogæo, tardiore gressu orbem diurnum, utpote majorem circulum, peragrant, sicque longiore a stellis fixis intervallo versus ortum remoti cursum suum accelerare videntur: ubi vero ab apogæo recedunt, minorem circulum decurrent, eumque citius absolvendo minori quoque spatio a fixis distant; quare eorundem in ortum progressus adparet, ac si retardaretur. Quando autem angustiorem adhuc orbem describunt, æquis eundem passibus non secus ac suum stellæ fixæ percurrunt; unde nobis stare videntur, quum stellam nec post se relinquant, nec illam antevertant. Denique ubi a statione sua ad perigæum progradientur, per minores adhuc volvuntur circulos diurnos, minimumque perficiunt in perigæo, quem proin longe citius quam stellæ fixæ suum emetiuntur. Quapropter stellas longiore quoque intervallo post se relinquunt ortum versus, atque ita retrogredi creduntur.

LXV.

Corporum cœlestium phænomena.

Expositis variis motus siderei hypothēsibus diversa corporum cœlestium phæno-

nomena præ reliquis admiratione scitu-
que dignissima nunc explicanda sese of-
ferunt. Initium a sole duco: vix non in
votis est immane illud votum Eudoxi,
præstantis Astronomi, de quo Plutarchus
(y) testatur, optasse illum Phaetonis in-
star comburi, modo sibi liceret cominus
ad solem adstanti figuram, magnitudi-
nem, decoremque tanti sideris tantisper
contemplari. Est enim anima mundi,
oculus cœli, astrorum princeps, lucis
fons inexhaustus. Naturam corporis so-
laris igneam esse tum antiquiora Eccle-
siæ lumina Chrysostomus, Augustinus,
Blosius, &c. tum ævi recentioris Clarissi-
mi Viri Scheinerus, Kircherus, aliique
passim Astronomiæ cultores contendunt;
non equidem quod ejus focum igne spis-
so, fœculento, & tot heterogeneis parti-
bus adulterato, qualē experimur ignem,
quo nos utimur, sed longe puriore, de
fœcatiore, magisque sincero, ex primi-
genia luminis prima die conditi materie
composito, animari credant. Et quidni?
conspirant in hanc sententiam & ratio
& observatio: hæc quidem, quia solare
corpus helioscopiis optimis exploratum
ignei cujusdam maris imaginem refert,
ebullientibus flamarum fluctibus agita-
ti,

(y) Lib. 2.

ti, & emergentibus hinc inde fuliginosis vaporibus distincti. Certe Kircherus per crebras observationes velut incola cœli factus comparat eum ari carenti ac fusili in fornacibus, in quibus materia pro campanis aut machinis bellicis arte fusoria paratur, per ignem soluto, ubi lacum quemdam igneum e lucidissimis flammis fuligines evomentem cernere licet. Rationem hujus rei afferunt non contemnendam, quia scilicet sol ignem propriis sibi dotibus æmulatur. Nam radii solis undique diffusi res objectas illuminant, & per speculum concavum collecti reflexique, aut per vitrum causticum fracti, quin per ampullam quoque vitream frigida plenam transmissi, etiam hyeme calefaciunt & accendent. Cur ergo non ignis naturam vindicemus soli, qui facie ac indole spirat nonnisi ignem? non quidem crassum & pingue, sed subtilem & amœnum, ita ut si substantiam ejus spectes, sit Vulcanus, sed indole maneat Phœbus. Neque timendum propterea vicinis soli globis cœlestibus, ne inverso Phætonis curru in cineres redigantur, quum vel ex elementorum selecta & priore materia, atque ideo maxime vegeta compositi satis virium habeant, quibus per qualitates contrarias ab interitu se

defendant, vel diuturnis excocti flammis magis durentur, & asbesti vel amianti, corporum igne haud violabilium, natu-ram induant: quamvis non inficias eam, partes quasdam in iis continuo destrui, quemadmodum in globo terrestri contin-
git, alijs tamen succrescentibus, ita ut nova absuntis prioribus viscera his Pro-
metheis perpetuo nascantur. Partes ve-
ro ex quibus hoc corpus solare compo-
nitur, non omnes esse solidas, sed liqui-
dis & fluidis mixtas, satis prodit ipsa
solis facies, ope telescopiorum melioris
notæ observata, utpote in qua partes
quædam instar maris fluctibus agitati, &
aquaæ in lebete ferventis ebullire con-
spiciuntur. Quare quum partes solidæ
quietem ament, liquidæ vero motui sint
obnoxiae, partim e liquidis partim e so-
lidis componi solem recte arguimus.
Quin ex hac ipsa partium heterogenea-
rum commixtione non pauci Astronomo-
rum conjecturam haud levem deducunt,
sphæram solis aura quadam crassiore,
nempe effluviis ejusdem cum æthere am-
biente unitis conflata, circumdari ac co-
ronari, quam atmosphæram seu pyrosphæ-
ram solis nuncupare fas est. Rem hanc
fide dignam facit analogia cum globo lu-
nari ac terrestri, in quibus ob partes li-
qui-

quidas solidis commixtas, nempe terrestres cum aqueis atmosphærā quāmvis longe densiorem deprehendimus. Figura qua sol gaudet, sphærica est, suffragantibus tum helioscopiis seu tubis vitro colorato munitis, qui ambitum solis rotundum oculis objiciunt, tum maculis solaribus, de quibus paullo post sermo erit, utpote quæ circa medium solis discum majores, minores vero circa limbum apparent, quæ res sphæricam corporis figuram opticæ non ignaris manifeste prodit. Nihilominus induit sol, nudisque oculis monstrat cum reliquis astris faciem planam instar disci: non raro etiam oblongam seu elipticam tum in ortu tum in occasu suo. Nam radiorum in atmosphæra refractorum ope limbus solis inferior versus superiorem plus æquo attollitur. Eadem ratio est, cur sol aliquando jam conspiciatur, antequam supra horizontem emergat, aut postquam infra illum jam descendit. Nonnunquam in ortu occasuque suo, maxime circa æquinoctium vernum velut subsilire ac tremore concuti videtur, cuius rei causam assignant motum aeris crassioris prope horizontem tempore veris, quando pori telluris hyeme occlusi referantur: vulgus hunc tremulum motum adpellat

Tripudium Paschale, quo resurgentis Christi tamquam vero Iustitiae Soli noster applaudere creditur, quum Pascha circa verum tempus celebrari soleat.

Distantiae ac magnitudini solis qui certos terminos fringunt, eamque velut ad regulam metiuntur, sicutum faciunt hominibus. Tanta enim est, ut vel minimus error in observatione commissus, in calculo enormis evadat. Secundum Tichonis opinionem sol centum & quadraginta vicius, secundum Riccioli mentem triginta octo millibus & sexcentis, secundum systema Copernicanorum vix non uno, ut vocant millione globum terrestrem superat. Nam si Astronomorum Parisiensium effatis Copernico non obscurare tacentium fiduciam attribatur, diffinita solis media 22000 semidiametros terrae complectitur, atque adeo, quia longe latius patet, globus solaris decies centies milles seu integro millione terram magnitudine sua superabit. Ecce, opiniones & mensuras a se invicem distantes plus, quam ipsos globos coelestes a terra. Omnia tamen calculo maximam esse oportet hujas, ut & reliquorum corporum sidereorum molem, ita ut quos intuemur & longe pygmaeos, sint re ipsa-

gigantes : summam quoque cursus celeritatem esse, ut quos cochleas reptare videmus per cœlum, sint ocyores Euro & fulminis alis. Non minus solis magnitudinem stupendam prodit immensus ejusdem calor, vis ac luminis copia, quam quaquaversus in spatium prope infinitum diffundit.

Longe certius illis, quæ hucusque in medium attuli, phænomenon modo nostris sole oculis conspicendum sistit. Prioris seculi felicitas nescio an infelicitas fuit, invenisse ea in sole, quæ quindecim & amplius retro secula impune ignorarunt, utpote quibus solem ab omni macula non absolvere crimen fuisset *brevibus gyaris & carcere dignum*. Primus illas, ut jam alibi dictum est, detexit Scheinerus S. J. anno 1611. eo tempore, quo Ingolstadii Mathesin publice professus est ; qui tantum in globo solari visus est orbi erudito profuisse maculas inveniendo, quantum Christophorus Columbus in globo terrestri novas regiones detegendo. Macularum istarum indolem & dotes ordine juvat exponere.

1. Particularum nigricantium aut cœrulearum speciem præferunt, & in ipso
D d 3 cor-

corpore solari, nunquam vero extra illud videndas se præbent. Observantur vel discum solis per tubum in cubiculi tenebris objecta charta excipiendo, vel quod jucundius, tubum vitris coloratis obarmatum in ipsum solem dirigendo, ubi flavo in disco veluti totidem nævi atramento facti adparent, quemadmodum særissime observavi.

2. Diversa sunt præditæ forma : plerique majoris notæ quodam quasi fumo aut ut sæpius deprehendi, velut aranearum tela quadam involutæ.

3. Quædam eorum circa medium solis discum nascuntur, aliæ ex periphæria emergunt, non paucæ integrum solis diametrum transeunt, atque sub altera limbi parte occultantur : aliquæ vero e margine ascendentis in medio sole absuntur & evanescunt.

4. Majores ut plurimum apparent in medio, quam prope limbos ; quoniam in medio a nobis observantur expansæ, dum prope limbos solis globum oblique aspicientibus contrahi videntur. Hinc quoque in medio aliquæ rotundam, circa peripheriam autem, quando oriuntur aut

occultantur, *ovalem* ut vocant figuram induunt.

5. Magnitudo earum & numerus varius est. Multæ majoris instar lituræ aut maculæ, qua literarii tyrones in ludo chartas fœdare solent; aliæ minutissimæ & punctorum instar inspersæ soli conspi ciuntur: quædam terra majores creduntur. Nunc una tantum, nunc plures, nunc integer grex comparet: Scheinerus aliquando quinquaginta simul deprehendit; saepius vero nulla in sole macula notatur.

6. Una eademque macula, licet e pluribus locis dissitis conspecta, in eodem tamen disci solaris loco hærere videtur, quamvis unus eorum, qui observant, in Germania, alter in Indiis versetur.

7. Motu menstruo in hemisphærio, quod sol terræ obvertit, a plaga Orientali tendunt in Occidentalem, ita tamen, ut prope limbos tardiores, in medio velociores incedant: absolvunt integrum cursum circa solis sphæram diebus $27\frac{1}{2}$ sic, ut vel unius vel duorum dierum spatio in latente hemisphærio diutius commorentur, quam in eo, quod oculis nostris

flris patet. Porro moventur plerumque circa medium solis zonam superiorem ac inferiorem, nonnunquam prope polos: neque describunt lineas eclipticæ parallelas, sed ad eam obliquas: per aliquod tempus recta, per aliud incedunt via obliqua. Motus vero macularum, quem dixi, menstruus ævi recentioris Astronomis ansam dedit, ut soli præter primum & secundum, seu diurnum & annum, paſſim tribuant quoque tertium circa proprium axem motum *vertiginis*, quo intra dies 27. ac sere dimidium fere vertendo ac revertendo maculas secum velut pastor gregem circumducit.

8. Quædam post exantlatum paucissimorum dierum iter subito evanescunt: quædam præsertim majores integrum periodum circa solem una, quin & secunda & tertia omnino vice absolvunt teste Cassino.

9. Maculæ aliquando, præcipue circa limbum, abeunt in faculas, sole quodammodo lucidiores: hæ diversos quoque colores induunt; nonnullæ flavescunt, aliæ pallent, quædam peculiari splendore cinguntur, nonnullæ earum in medio sole inter maculas repente nascuntur, eamque

quam

quam maculæ viam observant, aliæ brevi rursus extinguntur: interdum faculae extinctæ succedit macula eodem in loco; alias macula consumta in facem resolvitur, quod frequenter contingit. Denique vicissitudines motuum ac figurum easdem patiuntur, quas maculæ.

Jam vero Astronomos inter, quin & Philosophos lis est magnis agitata studiis, nec tam facile componenda, quid rei sint hæ, quarum phænomena exposui, maculae. Nonnulli vapores aeri commixtos, alii stabiles solis partes heterogeneas, uti lunæ maculas, quidam astra minora circa solem comitum instar obambulantia, plures cum Scheinero, Galilæo, Keplero, Kirchero & Blancano contendunt, esse vapores, fulgines, nebulas, & veluti nubes e solari oceano ac flammivomis montibus ortas, in altum sublatas, & circa corpus solis nunc in unum locum congregatas, nunc dissipatas: jam hanc jam aliam induentes figuram, ac phæbi gradientis obscuros comites, ad omnem illius motum mobiles. Primam sententiam funditus prosternit phænomenon *num. 6.* allatum. Alteram opinionem plurimum enervat diversitas motus & situs *num. 3. 4. 7. 8.* Tertiam hypothesin præter phænomena

num. 2. 3. & 9. adducta suspectam reddit, quod harum macularum ne quidem vestigium extra corpus solare unquam optimis etiam helioscopiis deprehensum fuerit, quum tamen Jovis comites & Saturni extra regiam suorum principum armatis faltem oculis conspiciantur; quin etiam de die alia sidera sese videnda praebant, quando integrum solis discum eclipsis tempore abscondit luna. Quarto autem de maculis systemati omnia paullo ante exhibita phænomena suffragari videntur, nec quidquam est, quod fidem excedat: non ortus & interitus, ut patet ex ignea natura solis, qui fuligines has emitit, excoguit, & tandem iterum in substantiam suam velut absorbet, eo fere modo, quo nubes e terra prodeunt, & in eam recidunt: non motus qui communis est ipsis cum phœbo parente, qui motu vertiginis sibolem suam secum abripit: non longior duratio, ut appellant Philosophi, quum novæ semper vaporum suppetiæ eodem ex fonte adveniant: non quod in immenso solis incendio diutius perseverent, quum earum materies sit igne durata, uti superiorius dictum est, & tanto calori ferendo dudum assueta. Hucusque allatis tamen non ita fidem adstruimus, ut aliorum opinionibus eam creptam velimus. Quisque

que suos in tanta rerum umbra patimur
manes.

LVVI.

Lunam antiqui teste Plutarcho cœlestem terram nuncuparunt, nec omnino inepte, quum lunam esse *terraqueam* seu potissimum ex elementis terræ & aquæ (plus tamen, quam nostra sint, sinceris & defœcatis) compositam satis prodant ejusdem dotes cum globo, quem habitamus, terrestri communes. Est enim luna corpus opacum, partibus heterogeneis, liquidis & solidis, seu fluminibus, maribus, montibus & vallibus refertum, suaque gaudet atmosphæra. Singula ut in compendio exhibeam, lunam corpus esse opacum dubitare nefas est, quum radios solis exceptos versus terram reflectat: caret enim proprio lumine, & omne quod nobis indulget, a sole mutuum accipit. Luce clarius hoc demonstrant eclipses, quas patitur luna. Quippe si terra solem inter & lunam recta intercedat linea, radiosque solares, qui lunam collustrare debebant, intercipiat, ea prius splendida tunc omni lumine destituta squallet. Patet autem, lumen potissimum inter tenebras se prodere fulgore suo: quum igitur luna in umbra telluris sepulta luce careat, palam

lam est, quod ejus originem alteri, nempe phæbo, grata debeat adscribere. Solidas vero partes esse in corpore lunari convincunt nos partes quædam prominentes, & aliae profundiores, scilicet valles & montes, qui eundem semper situm retinere haud possent, nisi corpori solido inhaerent: has autem valles & hos montes telescopia manifeste nobis detegunt, dum eorum ope lunæ superficiem per intervalla temporis magis magisque illuminari videmus, non sècùs ac in globo terrestri a sole oriente prima luce pinguntur alta montium, dein etiam profunda valium. Ita mons Moschus duodecim horis citius illustratur crescente luna, quam fretum Ponticum, id quod etiam in Atlante minore ac Apennino contingit, quibus nominibus partes has prominentes insignivit Hevelius. Fluidas vero partes quoque reperi si suadent maculæ grandiores, quæ lunam distinguunt velut terram flumina, lacus & maria. Hæ namque partes fluidæ, dum lumen solis sinu suo exceptum magis imbibunt, minusque reflectunt, maculas istas exhibent, seu partes nigricantes, quo calore similem obcaussam ex edito loco in lacum aut mare prospicientium oculi afficiuntur: profecto summopere humida est luna, humo-

moreque suo in corpora dominatur, non minus ac sol calore. Hæc autem omnia sine partium fluidarum cum solidis commercio vix explicari posse videntur. Denique lunæ non deest, quam dixi atmosphæra, quamvis eam in dubium vocent Acta Acad. Paris. ad annum 1706. & 1720. Aura enim reliquo æthere coeli crassior eam ambit, cuius rei testis est imprimis limbus lucidus, lunæ peripheriæ parallelus, & prope illam densior, qui se in solis eclipsibus (præfertim quas vocant *Totales*) prodit, & a Kepplerio ipsisque Astronomis Parisiensibus, Wolfio aliisque fuit observatus. Quare contingit, ut in ecliptibus, antequam luna solem subeat, aliquis in ea velut tremor deprehendatur: tum quia maculæ, quibus lunæ facies abundat, aliquo tempore lucidiores clarioresque apparent, quam alio, teste Hevelio; demum planetæ Jupiter & Saturnus stellæque fixæ, ut Cassinus notavit, priusquam a luna occultentur, figuram suam, qua gaudent circulari, mutant in *ovalem*, quæ profecto sunt satis luculenta circumfusæ atmosphæræ indicia. Nil igitur obstat videtur, quo minus lunæ, ut dixi, cœlestis terræ nomen imponatur. Figuram lunæ sphæricam esse demonstrant ejusdem

dem phases menstruæ, quas instar Prothei diversas induit, soli tamen corpori sphærico, ut Optica docet, proprias. Nunc plena est, quando nimirum a sole directe opposito dimidia pars illa, quae nos respicit, tota illuminatur, diciturque tunc esse plenilunium. Nunc gibbosa, quando hemisphærium lunæ a sole velut lateri ejus adstante illustratum potiorem sui partem nobis obvertit, aliquam tamen simul partem lucidam a nobis avertit, quod quatuor ante ac post plenilunium diebus contingere solet, eo discrimine, ut ante plenilunium gibbus parte sinistra, post vero parte dextra emineat: modo dimidiata, quando hemisphærii medianam solum partem illuminatam nobis exhibet, ita ut quantum lucis indulget, tantum quoque abscondat: si post Novilunium hoc fiat, vocatur prima quadratura, si post plenilunium, ultima: modo falcata seu cornuta, si solis lucem ita excipiat, ut majorem faciei radiantis partem oculis nostris subducat; tum enim instar falcis apparet, & cornua gestare videtur, quod accidit secundâ, tertia & quarta post vel ante novilunium die: denique nova est, ubi conjungitur sola lege, ut superiore hemisphærio penitus illustrato inferius luce vacuum ac te-

ne-

nebris involutum nobis obvertat, adpellaturque novilunium. Hæ lucis & umbræ vicissitudines lunæ phasæ ac ætates nuncupantur, meruitque continua hac varietate sua inconstantia symbolum esse : *Nunquam eadem.* Distantia & magnitudo lunæ, utpote sideris terræ vicinioris, accuratius definiri potest, quam aliorum planetarum : media ut vocant distantia secundum ævi recentioris Astronomos duntaxat quinquaginta sex semidiametros terræ complectitur, ex quo patet lunarem globum fere quinquagesies quinquies globo terrestri minorem esse.

Cæterum lunæ, cuius naturam & dotes hucusque descripsi, facies maculis plenam se conspicendiā præbet, quas libero partim oculo, partim per telescopia deprehensas numerat Hevelius quingentas & quinquaginta, Grimaldus vero sexcentas. Hic Astronomorum celebrium nomina ipsis imposuit, ille urbium, marium, montium ac regionum, quæ præ reliquis in terræ globo celebrantur, meliore ausu, quam illi, qui veras urbes & homines novi Promethei in lunam & planetas invexere. Harum macularum phænomena sunt :

1. Colore non semper eodem pinguntur: in nonnullis omnino niger adparet, alibi glaucus & cinereus: quando plena luce gaudent tractus illi, quos Hevelius nominat *Sinum Hyperboreum*, *Mare Adriaticum*, & *Sinum Cercinites*, nil nisi nigredo sese oculis intuentium offert: contra dilutum colorem præferunt *Mare Caspium*, *lacus Corocondemitis*, & *Trismenus*: quædam partium fluidarum, quemcunque versus solem situm obtineant, colore nigro tinctæ videntur, ut *lacus Niger major*, *palus Maeotis*, *mare mortuum*, *palus Amadoca*, & *paludes Arabiae*.

2. Per majores hasce maculas trans-eunt longi velut tractus, sed angusti & albescentes, quorum longitudo sexies & ultra latitudinem superat. Horum alibi plures, alibi pauciores occurunt, ut in *prato Euxino*, qua Boream spectat, in medio *maris Caspii*, &c. quin similes quoque ab *Etna monte*, & ab *Insula Cercina* in mare mediterraneum excurrunt.

3. In meditullio macularum grandiorum aliæ non raro eminent lucidissimæ, minores tamen, quæ clarissimum lumen spar-

gunt, immo nonnullæ nigricantes cum limbo cœruleo reperiuntur, ut *lacus Herculeus* non procul ab Ætna dissipatus. In majoribus etiam albicantibus nigerrimæ notantur, ut super *Hellespontum*, in insula *Besbico*, & lacu *nigro* minore.

4. Figuram plerumque eandem præferunt, nisi quod interdum plus dilatentur, interdum contrahantur. Ita mare Mediterraneum nonnunquam usque ad *Alpes* & *Apenninum* sese porrigit; alias vero non transit *Pyramidem*, & montem *Argentarium*.

5. Quædam macularum instar conchæ conspectui se sistunt, & ex una parte introrsum veluti cavatæ nigerrimum, ex altera cinereum colorem induunt, ita ut nigredo illa densior crescente luna parti conchæ orientali, decrescente vero occidentali adhæreat. Plenilunii tempore maculæ istæ prorsus disparent, vel saltem tenui colore tinctæ vix dignoscuntur. Quamvis autem luna tot maculis deformatam faciem nobis ostendat, festive tamen nonnemo ex Endymiorum progenie cecinit:

Sit

Sit maculosa licet, tamen est formosa Diana.

LXVII.

Quam autem benignos aspectu influxuque suo mortalibus se indulgent gemini orbis oculi, sol & luna, tam pavore pannico implent inexpertes cœlestium rerum animos, si deficiant, & eclipsin patientur. Est autem eclipsum tempus statum, tum quo luna nova, tum quo plena est : priore solis, posteriore contingunt eclipses lunæ. Quum enim luna eo quo nova est tempore infra solem versetur, poterit eundem subducere oculis eorum terræ habitatorum, qui infra solem & lunam tunc degunt, ita quidem, ut quibusdam sol omnis, aliis duntaxat ex parte : aliis autem nulla sui parte tegatur ; prout magis minusque ab umbra, vel ut vocant penumbra fuerint remoti : ubi vero plena est luna, nempe si soli stet opposita, potest hæc omnino in umbram a terra intermedia projectam incidere, qua ratione luna eclipsin patitur majorem vel minorem, prout illa magis aut minus terrestri umbræ immergitur. Potro quum luna eclipsis tempore re ipsa luminis sui jacturam faciat,

ciat, eclipsin ejusdem omnibus eam in-
tuentibus æqualem esse oportet. Videri
quidem hac ratione posset, necessum es-
se, ut singuli menses duabus eclipsibus,
nimirum solari & lunari, sint subjecti,
quum intra mensem luna semel jungatur
foli, semel eidem opponatur: & ut ve-
rum fatear, evitari neutra posset, si sol
& luna in eodem eclipticæ plano volte-
rentur; quia tamen orbita lunæ, ut di-
xi, est ad eclipticam inclinata, ejusmodi
eclipses evenire haud possunt, nisi op-
positionem conjunctionemque solis & lu-
næ fieri contingat in *Nodis* vel prope
Nodos, hoc est, in duobus illis punctis,
in quibus orbita lunæ eclipticam secat.
Horum unus Borealis seu ascendens *ca-
put draconis* ab Arabibus dicitur, alter
Australis seu descendens *cauda draconis*
adpellatur, gaudentque motu peculiari.
Quamvis autem luna singulis mensibus
nodos percurrat, quia tamen sol illos
non attingit, nisi elapsò quinque circiter
mensium spatio, eclipses intra annum
nonnisi hoc temporis intervallo redire
possunt. Itaque annus quilibet binas nu-
merat eclypses solis, nempe dum hic no-
dos Borealem & Australalem occupat. Por-
ro *Totalis*, ut vocant, eclipsis sese pro-
dit, quando integrum solis ac lunæ he-
mi-

misphærium nobis obversum aut vere obscuratur, aut obscurari nobis videtur : estque illa vel cum mora, si per aliquod temporis spatiū tenebris immersum jaceat, vel sine mora, quando simul ac hemisphærii pars ultima obscuratur, prior splendori pristino restituitur. Atque hæc sunt solis & lunæ eclipsibus communia : quæ vero sequuntur, singulis propria.

1. Nonnunquam toti hemisphærio nostro solis facies a luna eripitur, quin terra omni ex parte ad tenebras damnetur. Nam in illis solummodo regionibus observatur solis eclipsis, inter quas & solem luna intercedit ; quum igitur luna sit corpus sole ac terra minus, patet quod direcťe inter solem & integrum terræ hemisphærium poni nequeat, quod tamen ad generalem solis eclipsin necessum foret. Plena igitur prodigio ea fuit, qua magnus ille mundi oculus cœli terræque Domino in cruce morienti parentavit. Tempus enim erat, qua luna dimidio a sole circulo distare solet, plenoque vultu exceptos illius radios in terras spargere : totus insuper terrarum orbis subita nocte oppressus gemuit, quum tamen luna sit longe minor terra, & ab hac maximo sejuncta intervallo, quæ si etiam in secunda aeris

regione posita, & uno duntaxat milliari
a globo terrestri remota foret, totum
ejus hemisphærium nequaquam tenebris
inundare posset.

Eandem solis eclipsin citius observant
Occidentales terricolæ, quam Orientales.
Prius enim, eclipsis afficit illas terræ re-
giones, inter quas & solem luna prius
interponitur: hoc autem quum luna mo-
veatur ab occasu versus ortum, citius ac-
cedit partibus terræ Occidentalibus quam
Orientalibus.

3. In Eclipsi solis primo deficit pars
solis occidenti proximior, eademque rur-
sus prima fulgori pristino restituitur.

4. Si contingat solis eclipsis, quam
partialem dicunt, luna solem tegens fur-
vo colore pingitur, qui si totus sol ob-
scuretur, penitus evanescit, lunæque glo-
bus instar nigræ nubeculæ conspicendum
se præbet. Hoc autem furvo colore lu-
næ faciem deturpant solis radii a terræ
partibus adhuc illuminatis versus lunam
reflexi.

5. Eclipse solaris interdiu tantum, aut
in confiniis diei noctisque conspicitur:

ejus duratio, quam vocant Astronomi, maxima est sole apogæo, & luna perigæa, horarum circiter trium in loco eodem, in diversis circiter quinque.

6. Eclipsis solaris eo minor est, quo magis directe luna soli supponitur, & quo vicinior terris eo tempore existit; aliquando eclipses sunt adeo insignes, ut ipsa meridies in noctem abire videatur, & stellas, quas eo tempore intueri alias crimen est, polus ultiro spectandas nobis præbeat.

Verum cœcos nos Mortales! qui solem obscurari credimus, quando obscuramur ipsis, & phæbeam lampadem extingui quærimus, de nostris securi tenebris. Non ita est: terra patitur eclipsin, & noctem, quam soli metuimus, quasque in ejus facie tenebras frustra quærimus, in nostra invenimus. Accidit igitur solis eclipsin, quando illum inter & nos luna interponitur, impeditque opaci corporis sui objectu, ne benefici hujus sideris radii ad nos perveniant, qui alias lucemque diemque terrigenis advehunt. Atque hinc solis eclipsin, quæ in cœlo contingit, Astronomorum plures in terra contemplantur, & artificio sane mirabili regiones illas delineant, quas per-

cur-

currit umbra lunæ, adsignando singulis tempus & modum, quo ab umbra lunæ involvuntur.

LXVIII.

Sole a tenebris suis absoluto ad lunæ eclipses pergo. Placet quidem sudo cœlo, & juvat aspectus tanti sideris: terret autem inferioris domus incolas non parum, quando tota paullo ante argentea & pleno corrusca vultu subito eclipsin patitur, & atro sanguineoque suffusa colore spissas inter tenebras horrendum emicat. Hoc eo tempore, quo plena est, evenire solet, quum terra lunam inter & solem media consistit, solisque radios illi destinatos objecto corpore suo intercipit. Tum enim oppositum telluris hemisphærium umbram spargit, quam vocant Conicam, eaque lunam vel totam, vel ex parte involvit. Eclipsis lunaris phænomena sunt, quæ sequuntur:

i. Aliæ ut adpellant, sunt *Totales* vel cum mora vel sine mora; aliæ *Partiales*. Quum enim semidiameter umbræ, quam terra projicit, triplo plerumque major sit semidiametro lunæ, oportet ut planum umbræ, per quod lunæ discus transit, novies hunc excedat. Quare ad tempus

aliquid luna tenebris omnino sepulta jacabit. Quoties vero latitudo lunæ præcise tanta fuerit, ut quamprimum ultima lunæ pars terrestri umbræ immergitur, altera rursus emergat, eclipsis lunæ sine mora contingat.

2. Eo major est eclipsis ac diurnior, quo tunc luna est terris vicinior, quia ampliori umbræ conicæ segmento mergitur: maxima eclipsis *duratio* (horarum cincter quatuor) est, sole ac luna apogæis ob tardiorem motum.

3. Initium ducunt eclipses lunares a parte Orientali, ac deficiunt in Occidentali; cuius rei ratio est, quod luna velocius moveatur quam sol ab occasu versus ortum. Itaque pars orienti propinquior citius umbræ terrestri immergitur, quam occidentalis, & hæc quoque postrema ex eadem egreditur.

4. Antequam pars lunæ orienti vicinior obscuratur, integra lunæ orbita pallore induit, debilem tamen, qui originem dicit e terræ penumbra, in qua luna versatur, priusquam umbræ ipsi penitus immergatur.

5. Luna quum eclipsin patitur, non raro colore sanguineo tingitur, nonnunquam melleo, fusco, flavo, ac cinereo, quem afflant solis radii diversis modis ab atmosphæra nostra refracti.

6. Denique eclipsis lunæ noctu solum, aut in extremis noctis partibus videri observarique potest. Spectant autem hoc lunæ deliquium omnes simul, quibus luna conspicua est.

Superstitiosæ antiquitatis mos erat solemnis, lunæ laboranti succurrere. Hinc fartaginibus & cacabis strepitum immamnam excitabant, vel ne luna exaudiret veneficorum carmina, quibus incantata ut credebant, e curru suo in terras delaberetur; vel ad terrorem draconi aut cani nescio cui incutiendum, ne lunam deficientem devorarent. Unde canit Poeta: (z)

*Cum frustra resonant æra auxiliaria
lunæ.*

Et Juvenalis sc̄eminam loquacem ac impotentem sui exagitaturus:

Una

(z) *Metamorphk.* Lib. 4.

E e s



*Una laboranti poterit succurrere lu-
nae.*

Supereft, ut de observatione eclipsium
tum solis tum lunæ pauca proferam. Co-
gnito vel ex calculo secundum tabularum
Astronomicarum leges instituto, vel ex
ephemeridibus futuræ eclipsis tempore, si
solem deficientem observare placeat, ejus-
dem discus ope tubi in planum muri vel
chartæ albæ inter cubiculi tenebras trans-
mittitur, eoque in duodecim partes æqua-
les, quos vocant digitos, diviso eclipsis
initium, incrementum, medium, decre-
mentum & finis, umbra murum vel char-
tam interea perambulante, non minus ac-
curate quam amoëne spectari notariique
potest, ac horologio prius ad solis nu-
tum composito tempus quodlibet designa-
ri. In lunam vero eclipsis tempore sub-
ductis antea rationibus dirigitur tubus,
ejusque vitro, quod vocant *objectivum*,
lunæ discus excipitur, filo tenuissimo
circumducto aut præfixo lapide speculari
in partes pariter duodecim dividendus.
Quot igitur ejusmodi partibus sol aut lu-
na obscuratur, tot digitorum eclipsis esse
dicitur.

LXIX.

Quinque alii planetæ sunt, qui sidereo in choro eminent, nobisque viciniores, quam sint stellæ fixæ, variaque scitu dignissima exhibent phænomena, ab Astronomis telescopiorum ope, miraque sagacitate deprehensa. Hi circa solem & cum sole circa terram moventur: non tamen solem omnino pro suorum orbium centro agnoscant, quum in elipsi aut circulo, quem vocant *excentricum*, proprio motu circumferantur, ita ut non solum suo gaudeant apogæo respectu terræ, verum etiam respectu solis aphelio perhelioque. Ordine quo a tellure versus firmamentum suas tenent stationes, singulos persequi liceat; & quidem nunc inferiores.

Mercurius proximus ac individuus solis comes corpus opacum, & si Kirchero aliisque Astronomis credimus, montibus asperum, ac menstruis, quibus luna, phasisbus subiectum est nactus. Præter alias Ricciolus testatur, observatum a se Mercurium, quando sub solem se dimisit, cornutum; dum vero altius eluctabatur, gibbo insignem, tandem rotundum, quin media quoque luna velut coronatum. Feliices Astronomi se credunt, quibus suam

quan-

quandoque faciem indulget hoc sidus. Nam maximo anni tempore phœbo vicens degit, & sub ejusdem radiis quasi absconditus latet. De illius, uti & reliquorum planetarum a terra distantia & magnitudine, quamvis multi certum iis terminum statuant, nolim ego divinare. Illud certum videtur omnium suffragio, ejus distantiam a tellure majorem subinde, subinde minorem esse quam solis, ejusque globum a terrestri magnitudine superari. Quando conspicuus est, lucis splendore se distinguit: nonnunquam vero sub sole instar maculae nigrae adparet, ut eum Gassendus, Cassinus, & in Sinarum regno P. de Fontenay S. J. observarunt.

Venus modo supra, modo infra solem emicat: quando mane sequentem præcedit, Phosphorus seu Lucifer, quum vespere præcuntem sequitur, Hesperus vocatur: de his Ovidius & Virgilius par nobile Poetarum :

*Et vigil Eois Lucifer exit aquis.
Ite domum saturæ, venit Hesperus,
ite capella.*

Quare Veterum error usque ad Pythagoram patet, qui teste Plinio Luciferum & He-

Hesperum duo distincta crediderunt astra. Varias non minus Venus quam luna phases admittit, lucisque portiones solis, cui famulatur, arbitrio sortitur: jam gibbosa, jam vacua instar maculae adparet. Falcatam induit faciem, quando sub primam auroram oritur solis nuncia: bifidam, ubi maxime distat a sole, rotundam quum ad eum proprius accedit. Ex quibus etiam illud patet, Venerem scilicet & Mercurium non propria, sed a sole mutuata luce fulgere. Ejus a terra distantia, quando supra solem ascendit, superat illam, qua sol & Mercurius a tellure removetur: contra minor est, quando infra solem descendit. Astronomorum aliqui Venerem terra majorem esse contendunt, alii paulo minorem. Ad formam illius quod adtinet, quis pulchram immo pulcherrimam neget esse Venerem? splendore vincit reliquos planetas omnes; non tamen caret maculis: varias in ejus disco notavit velut muscas pulchritudinis, ut vocamus, Cassinus, ; varias quoque partes reliquis lucidiores.

Ab inferioribus ad superiores planetas juvat ascendere. Mars quoque circa solem volvitur, sed in circulo tam ampio, ut ipsam comprehendat terram, non tamen

men solis orbitam complectitur: unde illo, quo eidem jungitur tempore, longe supra solem evehitur: quo autem opponitur, minus a rerra distat quam sol. Quare ita vicinus terræ solito majorem corporis speciem præfert. A reliquis eum planetis distinguit tum macula, quam media in fronte gerit, *Martis umbo* dictam & pro diversitate temporis diversam, tum color ruber, ardenti carboni non admodum assimilis. Majorem aliqui credunt esse terra, minorem alii. De illius comitibus non est, quod dicam. Quamvis enim non defuerint teste Rhei^ata (a) qui aliquos affingere Marti conabantur, nulli tamen unquam vel liberis vel armatis oculis furerunt deprehensi.

Jupiter benignum sidus est; unde quosdam amœna indole, festivoque ingenio præditos homines *Joviales* adpellamus. Ternæ illius globum (secundum Cassinum non raro plures) zonæ seu fasciæ strungunt, reliquis partibus obscuriores, plerumque parallelæ, quas pro amplissimis alveis joviales aquas vehentibus nonnulli habendas censem. Neque desunt maculæ, quæ splendidi cæteroquin planetæ faciem

(a) Lib. cui titulus: *Oculus Enoch & Eliæ,*

ciem infestant. Terram magnitudine sua longe superat: soli tamen mole multum cedit. Eum velut Regem suum quatuor stellæ comitantur, tellure vix minores, quæ circa Jovem circumambetæ, dum in umbram illius ea ex parte, quam a sole aver-sam monstrat, projectam incurunt, frequentissime & quidem singulis fere annis plusquam mille ac trecentis vicibus pa-tiuntur eclipsin, atque tantisper disparent: unde Jovem luce propria nequaquam ful-gere vel ipsa luce clarior est. Proximus comitum horum circa Jovem volvitur spatio 1. diei, 18. hor. 29. Secundus 3. dier. 13. hor. 19. tertius circuitum suum absolvit 7. dieb. 4. hor. 0. quartus de-nique 16. dieb. 18. hor. 5. Quoties ejusmodi satelles Jovem inter & solem directum obtinet situm, umbram in Jovis discum projicit, ita ut in eo instar ma-culæ nigricantis adpareat. Umbra hæc clarissimum denuo est argumentum, Jo-vem esse corpus opacum, & aliena lu-ce frui.

Saturnus omnium planetarum supre-mus per cœlum majestate plenus incedit, quinque stellis minoribus tanquam satelli-tibus

tibus perpetuo ejus latus stipantibus. Horum unum anno superioris seculi supra quinquagesimum quinto detexit Christianus Hugenius, nomenque illi lunæ Saturninæ imposuit: reliquos quatuor Cassinus, appellavitque in honorem Ludovici XIV. Galliarum Regis sidera Ludoviciana. Periodum suam Saturnus gressu tardo 30. febre annorum lapsu absolvit: pallida quidem ejus facies est ob lumen, quod a sole nimium remoto accipit jamjam languidum: lucidus tamen annulus modo plus modo minus explicatus medium planetæ corpus ambit. Ob varium hujus motum situmque Saturnus formam induit anastam, modo rotundam, nunc ellipticam. Quodsi Saturnum annulo hoc instructum contempleris, Jove vix non major, ab eodem vero separatus minor erit. Satellites quinque, quos diximus, in orbitis sibi propriis, a centro Saturni velut descriptis, circa planetam hunc girantur.

Proximus quidem spatio 1. diei 21. hor. 19.
secundus 1. dieb. 17. hor. 41. tertius 4.
dieb. 13. hor. 47. quartus 15. dieb. 22.
hor. 41. ultimus demum 79. dieb. 7. hor.
54. Porro motus satellitum tum eorum
qui

qui Jovi, tum illorum qui Saturno sunt a custodiis, rectam imitantur lineam, qua & accedere ad principes suos & ab illis recedere nobis videntur.

Jam vero ut planetarum tam a fixis stellis, quam a se ipsis discrimen pandam, differunt primo magnitudine: nam fixas apparente disci amplitudine superant. Secundo lumine, quod in planetis occurrit imbecillus ac rarius, item scintillationis notabilioris expers. Tertio motu, maxime situ mutuo varietati perpetuae obnoxio. Inter se ipsos vero distinguuntur tum magnitudine: Venus enim in planetarum choro adparet omnium fulgidissima maximaque: post Venerem sequitur Jupiter: Mars & Saturnus æquales sunt; quandoque tamen ille in perigæo major conspicitur; Mercurius omnium minimus agmen claudit: tum luce; ita Venus mundissimum & velut argenteum lumen diffundit: Jupiter paululum flavescit: Mars rubet: Saturnus plurimum pallet: Mercurius licet exilis, satis claram tamen lucem & nonnihil scintillantem spargit.

LXX.

Stellarum fixarum naturam vestigare, cum quibus omne commercium immane

BIBLIOTHECA DOMESTICA LIB. IX. Ff lo-

locorum intervallum nobis interdixit, res plena difficultatis est. Igneam esse ea, quam cum sole habent, analogia suadet. Nam stellæ fixæ sunt quasi totidem soles suo in cœlo splendentes, a quibus ne terra æquali cum illa, quam phœbus spargit, luce illustretur, de die prohibet vicinum solis jubar, de nocte ingens atmosphæræ cœlique a planetis occupati spatium interjectum. Hi soles pigmæi, ut nobis spectandos se præbent, non minus nativo lumine superbiunt, & focus illis domi proprius ardet, quam soli giganti, dum interea reliqui planetæ precaria luce contenti vivere debeant, eamque non aliam, nisi eam, quam a sole hauriunt, in terras effundant. Hoc satis produnt phases seu statæ luminis vicissitudines, quas pro diverso solis aspectu in corpore suo sortiuntur planetæ: illud vero manifesta ratio evincit. Si enim sol omni mole sua ob eam, qua recedit a terra, distantiam nonnisi palmaris adparet, quam minor apparere debebit, si e stellis fixis conspiceretur, a quibus secundum Riccioli calculum plus vigesies remotior est, quam a terra? Qua nunc ratione fieri poterit, ut a tantulo sole, etiam in opposito hemisphærio commorante, forte adeo lucem tantus stellarum exercitus

tus mutuam obtinere possit? hinc perspicaciores oculi, magisque cœlestibus assueti facile fixas ab errantibus seu planetis distinguunt. Nam illæ vivam & vegetam, hi pallidiorem debilioremque; illæ scintillantem vibrant lucem, hi vero languentem. Hujus autem scintillationis cauſa ex ipso fonte peti debere videtur, scilicet ex natura illarum ignea, dum partes minimæ in his focus ardentiibus continuo agitatæ velut ebulliunt, radiis quos spargunt, tum harum partium motum sequentibus, tum ab atmosphæra terrestri pariter agitata interrupuntis. Nimirum si fas est dicere, stellæ fixæ agunt lucem, planetæ patiuntur: sol vero vicinior nobis focus radiis suis fulgurare potius censendus est, quam scintillare. Quod autem ad scintillationem multum conferat atmosphæræ motus, declarari potest per analogiam cum lapide in fundo rivuli hærente, qui propter aquam perpetuo labentem decurrentemque undare & velut saltare videtur, eo quidem fortius, quo magis albicat. Quare scintillatio quoque major nocturno brumali tempore, quo aer frigore magis est condensatus, in sideribus fixis observatur; vix tamen aliqua, quando ad circulum meridianum pertingunt,

& verticibus nostris incumbunt. Porro capillitum stellarum, uti solis, seu radiorum latius vergentium parergae non ipsis insunt sideribus, sed ex oculo varie disposito trahunt originem, quum nempe retina diverso modo, aut vehementius emissis radiis feritur. Ita nos docet quotidiana experientia, lumen candelæ aspicientes, ubi prout varie dispositi sunt oculi aut contorquentur, quaquaversum radios e candela protendi videntur.

Si numerum fixarum desideras, *numera stellas, si potes.* (b) Ptolemæus 1022. Kepplerus 1392. Pardies 1480. Hevelius 1888, inermi oculo distinxisse se perhibent: armatis vero oculis ope telescopiorum numerus ejusmodi stellarum sine numero deprehenditur, quas solus *numerat Deus, & omnibus eis nomina vocat.* (c) Solam viam, quam dicunt lacteum, quæque obliquo tractu æquatorem inter & Tropicos intercedit, innumerabilium stellarum acervum esse Galilæus deprehendit, & in Asterismo Orionis, in qua Kepplerus stellas 62. collocat oculo nudo conspicuas, longiore telescopio in subsidium vocato plures quam 1000.

(b) *Genes. 5.*(c) *Psalms. 146.*

1000. deteguntur. Certe nisi maxima foret harum copia, & ad aliquot millia solum ascenderet, neutiquam adeo grande Numinis promissum illud fuisset, multiplicandi super terram Abrahami posteros *sicut stellas cœli* (d) cuius progenies quam late copioseque se diffuderit usque ad Messiae adventum, nemo est, qui ne-
sciatur. Verum qua ratione ab errantibus sidera fixa discerni queant, cœlestium rerum non satis gnari desiderabunt. Horum voto ut satisfiat, præterquam quod discriminem aliquod non ita pridem assiguaverim, triplicem heic ostendo viam: prima est scintillatio, quæ aere rite disposito foliis competit fixis. Nam eo vaporibus replete quandoque etiam planetæ scintillant, quando oriuntur & occidunt, hoc tamen discriminare, quod scintillato ista diu non duret, quum fixarum sit perpetua, multoque vivacior. Altera est, quam offert distantia, quæ a fixis eadem inter se semper inviolabili lege observatur, dum errantes continuo illam variare deprehenduntur. Tertia de-
num, quod ab ipsa quoque tellure æquali semper intervallo remotæ degant, quum planetæ ad eam modo proprius accedant,
mo-

(d) Genes. 50.

do longius recedant ab ea , cuius rei manifestum indicium præbet inæqualis , qua nobis adparent , quantitas & moles .

Distantiam fixarum a terra , magnitudinemque certo definire non licet , quantumvis decumano in ea eruenda labore Astronomorum non pauci , etiam principes desudarint . Quum enim terra firmamento comparata non nisi sit punctum , nulla intercedit proportio , nulla deprehenditur fixarum parallaxis , atque ideo nulla quoque certa ad manus esse potest distantiam hanc determinandi ultra . Illud hac in re dubia extra dubium est positum , tantum esse fixas inter & terram intervallum , quod omnem vulgi captum supererat . Antiquiores Astronomi huic adjudicarunt 440000 semidiametros terræ : Recentiores Tychonicis sub signis 20, 000, 000, Copernici castra sequentes 350, 515, 464. Secundum Hugenii calculum in suo Cosmotheoro globus e tormento bellico excussus , si eadem semper velocitate versus solem eluctaretur , 25. omnino annos itineri suo impendere cogeretur , donec præfixam sibi metam attingeret , 250. donec perveniret ad Saturnum , & usque ad stellas fixas 500. Par est ambiguitas circa magnitudinem fixa .

fixarum : Copernicani ex principiis opti-
cis ostendere conantur, solem, si a terra
eandem cum fixis distantiam noctus es-
set, stella majorem visum non iri. Qua-
re fixarum maxima saltem pars hoc in
systemate soli magnitudine sua non ce-
dit : in Tychonico autem secundum di-
stantiam primum explicatam stellæ om-
nes essent sole minores. An autem aliæ
sint aliis minores maioresve, plane igno-
ramus. Quamvis enim quædam nobis
maiores appareant, latet nos tamen, an
non minor a tellure distantia sit appa-
rentis hujus magnitudinis caussa : aliquas
enim earum aliis remotiores esse multa
produnt indicia, præsertim observata eo-
dem in sidere magnitudinis varietas. Cer-
te stella, quæ in collo Ceti sedem fixit,
dum maximum emittit splendorem (quod
nonnunquam ultra quinque dies contin-
git) stellam secundæ magnitudinis re-
fert: sed ubi splendor temporis successione
minuitur , tandem oculos insidianum
omnino subterfugit , latetque per ducen-
tos quadraginta dies : pristino demum
fulgori post trecentos triginta tres resti-
tuitur , nunquam tamen ultra centum &
triginta conspicuam se præbet. Interea
lustrant quotidie , ac terram benefacien-
do circumeunt cœlestes hæ faces, in com-

moda nostra vigiles. Ab ortu in occasum alieno velut motu giganteis passibus feruntur, proprio autem ab occatu in ortum tam lento ac testudineo gressu incedunt, ut unica periodo conficienda 36. annorum millia secundum Ptolemaeum, secundum alios 49. secundum Recentiores 25412 annorum spatium insument. Unde merito hic siderum circutus *Magnus Annus* a Platone fuit adpellatus. Verum præter hæc in theatro cœlesti aliquando se conspectui nostro sifstant sidera temporaria, ante hac nunquam visa, quæ post tempus aliquod oculis se nostris subducunt. Ejusmodi stellam in Cassiopeæ asterismo observavit Tycho an. 1572. in Cygno quoque an. 1601. Aliam similem in eodem loco, eodemque anno deprehendit David Fabricius: rursus aliam in serpentario ut vocant an. 1604. aliam in Andromeda an. 1612: aliam in Hydra an. 1706. appariuisse memorant Annales Astronomici, piuresque recenset Ricciolus. (e) Horum siderum subito emergentium quum nulla unquam parallaxis observata fuerit, ultra lunam, solem, reliquosque planetas situm obtinere oportet; quumque eandem integro, quo adparent tempore, a fixis di-

stan-

(e) In Almagesto novo Tom. 2.

stantiam teneant, stellarum fixarum numero merito adscribuntur. Eorum corpora & indoles reliquis fixis simillima, si motum excipias, quo per lineas rectas nunc descendunt, nunc in altum tolluntur ad immensa spatia, donec aciem oculorum nostrorum denique penitus effugiant.

LXXI.

Præcipuum & veluti principem personam in hoc cœlesti theatro agunt Cometæ, qui quo rarius spectantur, eo magis hominum oculos & animos in sui admirationem rapiunt. Quæ sit corporum horum cœlestium natura, adhuc sub iudice lis est: certiora præmittam, nempe dotes eorum: tum naturam quoque investigare licebit securius. Duodecim Cometarum species distinguunt Astronomi pro diversitate figuræ, quam referunt, diversas, quas iisdem, quibus eas rerum periti adpellant, nominibus insignitas hec sisto: 1. *Criniti* vocantur, qui radios suos in orbem spargunt instar capillitii seu comarum, unde etiam Cometæ nominis sui originem trahunt. 2. *Barbati* seu *Caudati*, qui jubam suam aut barbam rectam vel inflexam, a sole aversam porrigitur. 3. Quidam figuram *jaculi* præ-

seferunt. 4. *Ensiformes*, qui plerumque pallore se distinguunt, & radiis sunt destituti. 5. *Disciformes* seu instar disci, qui electrico colore prædicti claros in margine radios diffundunt. 6. *Doliares*, qui media sui parte obscuri sunt. 7. *Cornuti*, quorum flamma quam evomunt, incurvatur in modum cornu vel potius acinacis Persici. 8. Nonnulli *faculam* aut lampadem imitantur fulgore suo. 9. *Equini*, qui jubam equi preferunt. 10. *Argenticorni*, seu *Candidi*. 11. *Hirci*, quia radiis velut hirci villis circumdantur. 12. *Hastiformes*. Verum recensitæ hucusque duodecim species commode ad duas revocari possunt, scilicet ad *Crinitos*, & ut vocant *Caudatos*, *barbatos*que. Dicimus autem *caudatos* quum capillitium cometam sequitur; quum vero antecedit, *barbatos* nuncupamus. Duæ præ reliquis partes in Cometarum corpore notatu dignæ occurunt, nempe *caput*, quod *nucleus* vocatur, & *cauda*. Hanc tanquam appendicem suam in aversam a sole partem protendunt, ita ut si cometa oriatur ante solem & supra horizontem emergat, illam occidentem versus; si post solem, versus orientem exporrigat. Atque hæc cauda primis ut plurimum, postquam adparuit, diebus crescere solet:

minui vero antequam dispareat: qui re-
cta via soli sunt oppositi, cauda desti-
tuuntur, sed lucidior eos nebula instar
comæ seu crinum ambire videtur. Ali-
quando cometa in Zenith existens ad ter-
ram usque seu horizontem horrifico sane
spectaculo syrma hoc suum demittere
conspicitur. Certe quartam cœli par-
tem occupare cauda sua visus est Co-
metes ille, qui Patrum nostrorum me-
moria sub finem anni 1680 ac sequentis
initium spectandum se præbuit. Caput
quoque seu nucleus non eadem gaudet
magnitudine: aliqui sole non multum
minores, ut de illo, qui ante bellum
Achaicum fulsit, Seneca testatur; aliqui
luna, alii triplo maiores Venere ac Jo-
ve visi sunt: vix aliquis, qui non major
stellis primæ magnitudinis hucusque fue-
rit. Talis erat, quem Oeniponti anno
1742. die 7. Martii mane med. 5. ob-
servavi, quique Lyram inter, Cygnum,
& Aquilam tenuit stationem, caudamque
lucidam pyramidis instar versus occasum
protendit. Nucleus oculo inermi luce
pallida cinctus, per telescopium autem
veluti crinibus involutus sine appendice
apparuit. Color albicans tanquam dilu-
tus, ut exiguae quædam stellæ per cau-
dam lumen suum, quasi per vitrum tra-
jece.

jecerint. Iter suum ad Boream prosecutus est, cuius ulteriorem indaginem cœlum continuo nubibus obductum prohibuit.

Color quoque diversus est illis; aliqui igneum, alii flavum, nonnulli argenteum, fuscum & nigrum pauci præseferunt. Neque æquali temporis intervallo accenduntur extinguunturque faces istæ: ille de quo Josephus Judæus (f) meminit, integro ante Solymæ excidium anno feralis Vates comparuit, urbique immuniuit. Verum hic illis adnumerandus est, qui præter ordinem a Deo, velut a Patre irato ferulæ in fenestræ, ex alto suspenduntur, suamque in primo cœlo genesin noctus fuisse videtur, uti stella dux Magorum ad Christi præsepe: cæterorum nullus ultra sex menses perstigit. Tempore Mithridatis Cometes per septuaginta dies ita luxit, ut cœlum omnem conflagrare videretur: plerumque duobus aut tribus mensibus se spectandos exhibent; minimum illis tempus septem vel octo dierum definit Plinius, & Annales suffragantur. Initio sui ortus minores, dein conspicuntur majores, donec rursus imminuti omnino evanescant.

Por.

(f) *Lib. 2. de bel. Judaic. C. 13.*

Porro dupli cometæ motu circumferruntur: unus est primi mobilis seu diurnus ab Oriente in Occidentem, atque cum reliquo grege illis communis: alter secundi mobilis seu motus proprius, quo jam versus ortum, jam versus alterutrum mundi polum progrediuntur, itinere latis dubio, motuque obliquo planetas hæc in re imitantur, ita ut modo recta incedere via, modo retrocedentes, nunc velociores nunc tardiores, nunc omnino stare videantur.

Expositis Cometarum dotibus ad natu-
ram eorum investigandam gradum fa-
cio: Antiquiores Philosophi quidam Co-
metarum natales e telluris exhalationi-
bus accensis petebant, persuadentes sibi,
eos esse veluti meteora in aere nostro
adparentia, sed perperam; quum e re-
gulis parallaxeos satis constet, longe su-
pra lunam, immo & solem domicilium
illos fixisse, quo usque exhalationes terræ
neutriuam eluctari possunt. Quare ævi
recentioris Astronomi aliam eamque du-
plicem inire viam, qua Cometarum
genesis detergerent. Qui primam tenent,
nempe Tycho, Hevelius, Sturmius, Kir-
cherus, Dechales, Bion, &c. cometam
esse contendunt halitum quemdam cœ-
le-

lestem e planetarum effluvio prognatum,
& solis lumine collustratum. Caput seu
nucleum materies halitus densioris com-
ponit, solis ardore velut excocta, lumen-
que ab eo acceptum versus terram re-
flectens. Massam hanc circumdat at-
mosphæra tenuior, quæ originem trahit e
crebris nuclei exhalationibus, unde splen-
dor seu coma circa cometæ caput adpa-
ret. Caudæ vero natales ita explicant:
Radii solis memoratas propellunt exha-
lationes post tergum cometæ, ubi ab iis-
dem radiis solaribus partim per medium
nucleum transmissis, partim in atmo-
sphæra refractis illuminatæ splendorem
caudæ pariunt, oculis nocturno tempore
solis luce non occupatis omnino sensibi-
lem. Hæc itaque si e terra sub majore
angulo observatur, major, si sub minore,
minor videtur. Quando autem cometæ
respectu telluris soli e diametro est op-
positus, caudam suam tegit, unde acci-
dit, ut rarer duntaxat splendor atmo-
sphæræ circa illum, seu coma solum con-
spiciatur.

Aliam ineunt viam Dominicus Cassi-
ni, Jacobus Bernullius, Newton, Whi-
ston cum multis Recentioribus, qui di-
versis utuntur ambagibus, communi ta-
men

men studio cometas docent esse astra mundo coæva, nobisque ob maximum, quo distant a terra, intervallum non conspicua, nisi quando in parte circuli sui inferiore versantur. Bernullii sistema, quod referunt *Acta Lipsiensia*, (g) hujusmodi est: 1. Circa solem in maxima ultra Saturnum distantia movetur planeta, qui tum ob corporis exiguitatem, tum ob nimiam distantiam conspectui nostro neutquam se indulget: motum vero suum intra quatuor annorum, & centum ac quinquaginta septem dierum spatium absolvit. 2. Circa hunc invisibilem planetam ceu principem moventur planetæ comites, qui interdum proprius ad terram accedunt, & in conspectum nostrum prodeunt, atque hi cometæ dicuntur. Ex his vg. illum, qui anno 1681. comparuit, motum absolvere contendit annis octo supra triginta, diebus centum & quadraginta septem, ita ut anno 1719. completa periodo sua nostris se oculis rursum sistere debuisset. 3. Hæ cometarum orbitæ non sunt in eodem cum ecliptica plano, nec æquæ lance omnes ad illam inclinantur. Hinc quoque motus cometarum exlex est, nec certas observat regulas. 4. Sol circum-

fu-

fusos planetas Venerem , Mercurium , Martem , &c. perpetuo velut excoquit igne suo ; unde nunquam non maxima exhalationum copia e planetis & sole ipso egreditur , quæ motu vorticis solariis ad ejusdem peripheriam propellitur . Verum exhalationes istæ renitentibus superioribus fixarum vorticibus ultra progressi prohibitæ affluente subin nova materia paullatim condensantur ; unde accidentibus solis radiis terram versus reflexis cauda cometæ generatur . 5. Non omnes radii solares in illum incidentes ad terram reflectuntur , sed ii solum , qui in partem soli oppositam impingunt ; reliqui aliorum disperguntur . Quare cauda cometæ semper in parte cœli a soleaversa conspicendam se præbet . Verum systema hoc ut ut ingeniosum duo patitur obstacula : primo quidem , quod si planeta hic cum comitibus suis supra Saturnum positus motus sui periodum intra quatuor annos conficeret , non raro & ille & comites ejus fixas interjecto corpore suo occultare nobis deberent , cuius tamen rei vestigium non habemus : tum quod Auctorem ipsum calculus fefellerit in cometa , de quo prius memini , quemque anno 1719 mense Maio in libra visum iri prædixerat , eventu

vaticinio neutquam respondentē. Hinc priori adhærendum systemati videtur, quod cometarum genesis ex halibus corporum cœlestium derivat, omniaque satis commode phænomena explicat, superius recensita. Confirmat me in hac sententia plurimum Cometa, de quo dixi anno 1742 observatus, quem felicius prædixisse visus est auctor non ignobilis in libro, quem de Astronomia pridem antea scripsit, ubi inter alia memorat, eo quo Saturnus ac Jupiter in signis, ut vocant, igneis (quale Leonis est) coniunguntur, tempore cometas oriri ob crebriora & vehementiora tunc temporis planetarum horum effluvia, idque annorum retro lapsorum exemplis stabilit̄vit: anno autem 1742. memorato hoc plane contigit, ubi Jove in quinto, & Saturno in decimo septimo Leonini signi gradu versantibus cometa ille nostris lēse oculis indulxit. Eadem ratione Medicus quidam ac Matheſeos cultor insignis in Saxonia jam anno 1652. prædictit Cometam orituram anno 1664. mense Decembri, eo quod illo mense planetæ omnes in Capricorni signo conventum celebraturi essent. Et vero respondit evenitus, cuius alias causam antea prævide-re non potuit, nisi concutsum planeta-

rum certo tempore futurum, e quorum
conjunctis effluviis materia quædam coa-
gulari potuit, apta generando Cometæ.
Ex eodem fonte Marcus Freundius (h)
præslagium hausit de Cometa, qui eo-
dem anno insignis adparuit. Accedit,
quod circa illud, quo cometæ compa-
rent, tempus paucæ vel nullæ in sole
deprehendantur maculæ, earum scilicet
materia in generationem & corpus co-
metarum ablumta. Ita referunt Anna-
les, accenso cometa illo, qui mense Mar-
tio anni 1677. ante bellum Turcicum
terræ imminuit, longiore illius ortum
præcedente tempore solare corpus macu-
lis infestatum fuisse, quæ post dissolutum
cometam rursus frequentes fuerunt ob-
servatæ, medio tempore iis vacuo: non
minus integro anno 1618. quo tres co-
metæ in cœlo arsere, nullas omnino ma-
culas in sole fuisse notatas. Neque opus
est, ut foris testimonia conquiram, dum
domi luculentum habeam. Nam inda-
gandæ huic rei sedulo intentus observa-
vi solem integro, postquam cometa ille
anno 1742. visus est, anni spatio vix
non omni (grandiore saltem) macula
destitutum, quum prius ac postea insi-
gnes multasque sèpius deprehenderim.

Jam

(h) In Practic. Calend. ad an. 1677.

Jam vero ut de prognosi Cometarum, cui plurimum tribuit vulgus semper in sua damna superstitionis, creditque cum poeta :

*Nunquam terris spectatum impune Co-
metam.*

Ut inquam certiora in medium adferam, cometæ qui uni loco incumbunt, uni urbi aut regioni imminent, uti contigit ante excidium Hierosolymitanum & Constantinopolitanum, modiceque a tellure distant, tum spectando naturæ ordinem per varios influxus sunt infesti, tum vim illam supra naturæ ordinem, tanquam feciales iratæ Nemesis divinæ funestæ aliquid plerumque portendunt : superiores vero indicant quidem cœlestium corporum corruptionem ac intemperiem quandam ætheris, sed simul etiam venturam brevi temperiem illius nunciare possunt. Nam ut Kepplerus ait, Cometa in hunc finein nasci videtur, ut crassa pinguedine quasi quodam excremento in unum apostema coacto purgetur aer superior seu æther cœlestibus globis circumfusus ; non aliter ac in corpore humano apostemata, quæ subito prorumpunt, magnæ in eo

Iatentis intemperiei indicium sunt, rupta tamen feliciter in corporis sanitatem cedunt. Interea tamen communis vulgi persuasio est, & Astrologorum commentum: famem pestem, bellum, clades, inundationes, subversiones urbium, mortes Principum a Cometis prænunciari. Ita teste Hevelio (i) seculo XVI. quo arserunt quadraginta Cometæ, fatis succubuerunt septendecim Summi Pontifices, quatuor Imperatores, tres Hispaniæ, inter quos Carolus V. quatuor Galliarum Reges, quinque Turcarum, ut vocant, Magni Sultani. Verum his moveri prudens vir rerumque gnarus haud potest, ut tam sinistre de his cœli phænomenis sentiat. Possunt quidem Cometæ aliqui mala ejusmodi noxia quadam, ut dixi, virtute sua influente mundo inferre. Ex hoc tamen neutquam ferre sententiam oportet, quod hæc mala, præfertim quæ pendent ex libero Dei vel hominum arbitrio, uti bella, clades, &c. ex iis directe ac veluti potestate dictatoria præfigire liceat. Accedit, quod Pontifices ac Principes absque cometis senii, aliorumque morborum vitio vita fungi potuissent, aut exardescere bella, vel pestes.

(i) In fin. lib. de Cosmographia.

fies oriri. Forte totidem Principum & Regum filii eo ipso seculo nati sunt, totidem pacis fædera constituta, totidem victoriae relatæ in diversis orbis partibus; atque ita æquali jure dici posset, cometas esse omen mundo faustissimum. Nam extra dubium est, in toto terrarum orbe, quem cum reliquis astris circum-eunt Cometæ eodem tempore, quo alibi grassantur summæ calamitates, alibi esse lætissima quævis auspicia, eunte velut in orbem fortunæ vicissitudine. Est & aliud commentum eorum, qui volunt cometam illi regioni portendere sinistrum omen, cui caudam obvertit: sed ex opticæ principiis patet vanitas hujus præfigi, quum semper caudam a sole averlam post se trahat. Illud longe certius ex Annalibus eruitur, ultra quadringentos ab orbe condito hucusque Cometas adparuisse.



§. IV.

Doctrina Chronologica.

LXXII.

Tempus Astronomicum.

Emenso utriusque doctrinæ sphæricæ ac theoreticæ studio ad tertiam brevi ut aiunt manu expediendam progedior, scilicet doctrinam Chronologicam, quæ temporis a cœli notitia, siderumque motu, tam communi quam proprio, dependentis rationem explicat. Profecto omnes inter mensuras, quæ tempori metiendo inserviunt, nulla exactior, nulla expeditior, quam quæ a supremo rerum conditore Deo in hunc finem instituta fuit, nempe cœlorum ac siderum motus, præsertim solis astrorum principis, utpote omnium notissimus, totiusque orbis conspectui palam expositus. Sol enim motu suo proprio annum conficit, & diurno seu communi diem, quem in vi. ginti quatuor horas dividere solemus, horam in sexaginta minuta prima (horæ minutias rectius dixeris) hæc rursus in

in totidem secunda, atque ita ulterius. Non minus in temporis mensuram adsumere licet Lunæ aliorumque siderum motus; & quamvis astrorum istorum cursus nonnunquam extra orbitam saltare, certisque definiri legibus haud posse videatur, norunt tamen probe Astronomi per motum primi mobilis illum, si quid forte in regulas motus communis inæqualitate sua peccet, corrigere ac in orbitam reducere. Atque hic cœlorum motus universalis, continuus, & æquabilis est norma omnis cuiuscunque temporum mensuræ, quæ horologiis sive sciamthericis, sive rotatis, hydraulicis, clepsydris, &c. capitul. Porro Chronologia, quam heic explanandam suscipio, Astronomica est (quæ tempus e cœlestium corporum, præcipue solis & lunæ, motibus derivatum considerat, ejusque varietatem explicat, ac suas in partes apte dispescit) non Historica, quæ temporum mensuram ab Astronomis rite in ordinem redactam rebus in orbe gestis accommodat. Est autem tempus mensura durationis cuiusque rei, quod ut cum Philosophis loquar, tanquam genus late patens in tres potissimum species, Astronomicum scilicet, Politicum, & Ecclesi-

sticum dividitur. Ab Astronomico intium duco.

I. Diem vocamus intervallum temporis, primo & communi sideris cuiusdam, maxime solis, circa terram circumacti motu definitum. In Naturalem dividit solet ab Astronomis & Artificiali. Prior est, quem sol redditu suo e puncto Meridiani fixo ad idem punctum fixum conficit: posterior vero est spatium temporis, quo sol supra horizontem ab ortu scilicet suo ad occasum usque commoratur. Ex quo simul patet, quid sit nox artificialis, nempe mora solis infra horizontem. Utriusque alternis vicibus sunt intervalla majora minorave in omnibus terræ locis, si Äquatori omnino subiecta excipias, ubi per totius anni spatium dies nocti artificiali æquatur: reliquis quoque orbis partibus diei noctisque artificialis æqua obtingit portio, quando sol in Zodiaco punctum arietis & libræ occupat. Quare diem inter naturalem artificiali discrimen hoc intercedit, quod prior ubique ac semper iisdem temporum momentis definiatur, non item posterior.

2. Diem,

2. Diem, de quo dixi, naturalem Astronomi ulterius distribuunt in viginti quatuor partes æquales, quas horas adpellamus. Has ut plurimum a Meridiano seu diurno seu nocturno, pauci ab Horizonte ortivo aut occiduo auspicantur. Hinc quoque varii generis horæ: Babylonicae, quæ ab ortu solis diei initium faciunt; Italicae, quæ ab occasu: Astronomicæ, quæ a Meridie; Civiles demum, quæ a media nocte incipiunt. Horæ ejusdem diei naturalis (saltem quantum sensibus deprehendere licet) sunt inter se æquales, responderque una hora in terris quindecim gradibus Äquatoris in cœlo; artificiales vero inæquales. Nam quum diei ac noctis artificiales spatia nunc majora sint, nunc minora, duodecimæ quoque partes seu horæ dierum diversas fortiuntur magnitudines.

3. Mensis alias est solaris, alias lunaris. Prior spatiū temporis complebitur, quo sol signum unum Zodiaci percurrit motu suo proprio ab occasu in ortum, & singulis diebus 59. circiter minutis promovetur. Unde duodecim signis, quæ sol annuo cursu emetitur,

duodecim quoque menses respondent: posterior est intervallum, quod lunæ circuitu describitur. Dividitur autem in Periodicum, quo luna sub ecliptica ab uno ad idem punctum revertitur diebus

27. 43. 5. & Synodicum, quo luna a sole digressa completis omnibus suis pas-
fibus ad eundem revertitur diebus 29.
horis 12. 44. 3.

4. Annus solaris Astronomicus est spatium temporis, quo sol motu proprio ab occidente in orientem ab uno cœli puncto ad idem revertitur post menses duodecim, hebdomadas quinquaginta duas cum uno die, id est, diebus 365,
& ferme 6. horis, scilicet 5. 48. 45. Tropicus quoque adpellatur, qui exor-
dium dicit ab uno e Tropicis, seu pun-
ctis ut ajunt *Cardinalibus*, ita ut sol ab
uno ex æquinoctiis aut solsticiis digres-
sus, confecto Zodiaci itinere revertatur
ad idem punctum. Hujus anni limites
sat certi nequeunt poni. Quippe quum
terra cum solis cursu commune centrum
non habeat, sed hic modo minus modo
magis supra illam assurgat, fit, ut conversio
solis ab uno cardine nunc major, nunc mi-
nor

nor evadat. Hinc consilium sane prudentissimum iniere Astronomi, concordique suffragio medium quemdam solis cursum, ex velocissimo & tardissimo compositum temperatumque constituerunt, dierum nempe 365. sc. horarum 49. 16. Annus lunaris Astronomicus est spatium temporis, quo sol & luna duodecim vicibus conjunguntur, continetque dies 354. horas 8. 49. ex quo patet, annum lunarem solari minorem esse fere undecim diebus. Atque hunc annum quoque lunarem communem adpellant: Embolismum vero, qui tredecim mensibus absolvitur, quod anno quovis tertio contingit, cuius ultima ut vocant lunatio finitur vigesima septima decembris, ut ita defectus priorum dierum suppleatur, donec luna cum sole omnino conveniat.

LXXIII.

Tempus Politicum.

Dicitur illud, quod variæ gentes ex populari motuum cœlestium observatione ad usum vitæ civilis sibimet ipsis constituere.

1. Dies

1. Dies politicus alias naturalis est, alias artificialis, prior lucem & tenebras complectitur, numeratque horas 24, posterior solam lucem, cui nox succedit, quam tenebræ constituunt, ita ut \AA equinoctii tempore luci duodecim, totidemque tenebris horæ cedant.

2. Quamvis autem dies politicus, uti & Astronomicus apud omnes gentes 24. horis circumscribatur, nihilominus diversi populi diversa quoque ratione diei noctisque initia ducunt, & in alias atque alias horas distribuunt. Quippe Chaldæi sive Babylonii diem ab ortu solis auspicantur. Hebrei ab occasu solis, quos Athenienses, Itali, & paucæ in Germania nationes imitantur: \AA gyptii & Arabes a Meridie: a media vero nocte olim Romani, & hodie tota fere Europa diei exordium dicit. Porro Judæi tum diem tum noctem non modo in horas, sed alias quoque partes quatuor æquales diviserunt, quarum diurnas dicebant stationes, tribus temporariis horis ab invicem distinas: *prima, tertia, sexta, & nona statio.* Nocturnas vero eodem temporis

tio definitas, *vigilias* adpellabant. *Prima* noctis vigilia incipiebat a solis occa-
su, *secunda* desinebat cum media no-
cte, & ab eadem initium ducebat *tertia*,
quarta denique ad solis ortum determi-
nabatur.

3. Hebdomas Politica est septem die-
rum periodus, a Deo ipso instituta, qui
dum mundo fabricando sex dies impen-
dit, septimam quieti dedit, sanctamque
populo electo haberi præcepit, nempe Sab-
batum, cui diem Dominicum substituere
Christiani. Nuncupatio autem horum se-
ptem dierum apud Romanos usurpata, &
postliminio ubique fere gentium recepta est,
ut totidem planetis dicarentur, nempe dies
Hebdomadæ prima Soli, secunda Lunæ,
tertia Marti, quarta Mercurio, Jovi quin-
ta, sexta Veneri, septima Saturno, cuius
ordinis ratio ab Astrologia videtur tra-
xisse originem. Nam si descriptis hac
serie septem planetis ☽. ♀. ☿. ☽.
☽. ☿. primæ diei, seu Solis, hora pri-
ma tribuatur, secunda Veneri, tertia
Mercurio, quarta Lunæ, atque ita por-
ro numerentur diei horæ tam diurnæ
quam nocturnæ, donec omnes viginti
quatuor absolvantur, prima sequentis diei
secun-

secundæ in lunam incidet, quæ tota proin dies Lunæ dicitur: prima diei tertiae in Martem, & eodem rursus ordine procedendo prima diei quartæ in Mercurium, quintæ in Jovem, &c. incurrit. Eiusmodi hebdomadas annus integer numerat quinquaginta duas, prætereaque diem unum vel alterum. Unde solares anni non ab eodem semper septimanæ die, sed communes uno, bisextiles binis diebus post fortiuntur initium.

4. Mensis politicus spatio temporis inter æquale ac inæquale medio, communis hominum usui accommodato circumscribitur, quia certum illi tempus præfigere prohibet inæqualis phœbi motus, utpote quem per spiras, non per circulos suis numeris absolutos conficit. Competentem singulis mensibus numerum produnt versiculi sequentes:

*Ter denos september babet, totidemque November,
Junius, Aprilis: reliquis superadditur unus.*

*Ast in communi vicenos Februus
octo*

*Continet; bunc uno in bissexto sem-
per adnuge.*

Manus quoque ministerio numerus hic deprehendi facile potest. Nam si compresso indice ac annulari reliquos digitos porrexeris, atque ita per illos, initium ducendo a Martio, menses numeraveris, omnes illi menses, qui protensis digitis respondent, sunt dierum 31. reliqui dierum 30. excepto solo Februario. Etsi vero mensium dies communi omnium suffragio numerare soleamus eo, quem natura tribuit ordine, Romani tamen & subinde Ecclesia suo in Calendario in tres classes divisere, Calendas nempe, Nonas, & Idus. Primus cuiusque mensis dies vocatur *Calendæ* a græca voce *Kæleñ* seu vocando. Nam singulis Calendis a Pontifice convocari solebat populus Romanus, ut intelligeret, quot dies a Calendis supereffent ad Nonas: confluxit autem rursus Nonarum tempore populus in Urbem, ut disceret, quid ad cultum præcipue Diis exhibendum eo mense fieri oportet. Hinc No-

Nonæ originem traxere, quod ab ea die usque ad Idus novem dies intercederent. Sed mense Martio, Majo, Julio, & Octobris Nonæ incident in diem septimum : Idus vero (ita dicti ab antiquo verbo *iducare* quod est dividere) in decimum quintum : reliquis mensibus Nonæ incurruunt in diem quintum : Idus vero in decimum tertium. Hæc omnia in memoriæ subsidium sequentes versus exprimunt :

*Prima dies mensis cujusque est dicta
Calendæ,*

*Sex Majus Nonas, October, Julius
& Mars,*

*Quatuor & reliqui : dabit Idus qui-
libet octo.*

*Inde dies reliquos omnes dic esse Ca-
lendas,*

*Quas retro numerans dices a mense
seuenti :*

Nam die, quæ præcedit Calendas (eg. ultima Januarii) dicitur *pridie Calendas Februarii*; dies vero trigesimus seu penultimus Januarii vocatur *tertius Calen-*
das

das (seu ante Calendas Februarii) atque idem esto judicium de aliis ordine retrogrado usque ad diem, qui sequitur Idus. Eadem ratio habetur in Nonis & Idibus, ut insipienti Calendarium Romanum palam fiet.

5. Annus politicus est certus dierum numerus populari cuiusvis gentis instituto receptus. In duas dividitur classes, Solarem & Lunarem. Solaris anni diversæ apud diversos populos recensentur species, quas inter eminent Ægyptius, Julianus, & Gregorianus. Ægyptius diu apud Chaldaeos & Romanos viguit; successit postmodum Julianus: huic denique Gregorianus. Annus Ægypticus, si fides historicis, initio non nisi unius mensis spatium complectebatur. Quare veteres Ægyptios nonnullos plus quam mille ac ducentos annos vixisse produnt Annales. Sed breve in trimestre, quadrimestre ac semestre demum excrevit. Verus tamen annus Ægyptius seu Chaldaicus, cuius Nabonassar initium fecisse fertur, diebus 360, tot nempe, quot partes five gradus numerat Zodiacus, fuit circumscriptus. Errori huic magno ansam dedit non minor, quo
Ægyptii

Ægyptii credebant, unum duntaxat gradum, nec plus nec minus quotidie a sole motu proprio absolvit. Hinc Sacerdotes Ægyptiaci, penes quos sacrorum & temporum ordinandorum cura fuit, quum animadverterent dierum aliquot atque horarum in anno suo defectum, ingenioso illum symbolo adumbrarunt, pingentes serpentem in orbem circumductum, caudam vero inserentem ori, ac si reliquias illas, dierum scilicet quinque ac sex horarum devoraret. Solis igitur motu penitus cognito quinque dies reliquo anni spatio adjiciebant, ita ut duodecim mensibus eos subnechterent, quod Appendices Ægyptii, Græci vero Epagomenos seu adjectios appellabant. Ægyptiorum vero anno ita correcto jam olim & adhuc hodie utuntur Persæ, Macedones, Æthiopes, Abyssini, Coptici, Armeni, Syri & Syro-Græci. Annus Julianus continet spatium tecendorum sexaginta quinque dierum cum sex horis. Etymologiam suam debet Julio Cæsari, Romano Dictatori ac temporum Emendatori. Romulus enim, ut Fasti testantur, de quibus canit Ovidius :

Signantes tempora Fasti.

Ro-

Romulus inquam, annum in dies non plus quam trecentos quatuor, hosque in menses decem distinxit. Quum vero is dierum numerus nec solis cursui, nec lunæ rationibus conveniret, quinquaginta sex aliorum dierum suppetias annus accepit, ita ut trecentis sexaginta diebus terminaretur, mensibus tamen sine ordine, sine lege pro Imperatoris arbitrio, ut ait Plutarchus, confectis. Numa vero Pompilius, a Græcis melius sapere doctus, quinquaginta dies & menses duos novos veteri anno Romuleo adjecit; unde dies trecenti quinquaginta quatuor, ipsumque annum lunarem obtinuit. Ut autem solis quoque cursui eum aptaret, intercalarem cum Græcis adhibuit, & secundo quovis anno viginti duarum, quarto autem viginti trium dierum mensem embolimæum, quem Merckedonium vocabant, inseruit. Verum quum neglectis Pompilianis legibus confusio in dies incrementa caperet, Julius Cæsar devicto Pompejo in Consulem quarta vice electus, quin & ad Principatus ac Sacerdotis Maximi dignitatem evectus, quum vidisset a Mystis, quibus cura hæc demandata fuit, rationem temporis vel neglectam, vel favore aut odio erga

Consules studiose turbatam , ope Sosigenis Astronomi peritissimi anno Urbis D CCVIII. ante Christum natum quadragesimo quinto Romanum annum novam in formam redegit , reduxitque ad dies , uti dictum est , trecentos sexaginta quinque cum sex horis , quæ sex horæ quum quadriennii spatio diem confiant , quanto quovis anno diem intercalari jussit : nempe mense februario post vigesimam tertiam diem . Dies autem hic adjectus , id est , cum vigesima quarta Februar. nomen sortitus est , & bissexturnus ante Cal-Mart. vocatus . Unde ipsi anno 366. dierum nomen *bissextilis* impositum fuit.

Hac emendatione temporum facta Julio is honos est habitus , ut in perpetuam rei memoriam Quintilis mensis , cuius IV. Id. orbi natus est , *Julius* appellaretur , legem ferente Antonio , Marci filio , Consule . Sed quæ rerum humanarum vicissitudo est , sublato e vivis Julio Cæsare Sacerdotum incuria ratio Festorum seu Calendarii rursus pessumdata fuit . Quum enim Cæsaris jussu quarto quovis anno completo , antequam quintus inciperet , intercalarem immiscere diem oporteret , illi quarto necdum comple-

plete præpostera festinatione intercalabant; qui error per triginta sex annos commissus fuit non sine grandi periculo in futura tempora reddituro. Sed errorrem hunc deprehensum emendavit Augustus, tresque dies absque necessitate urgente insertos iterum exulare jussit, transactis sine intercalari duodecim annis. Meruit hoc facto, ut in ejus honorem sextilis mensis *Augustus* deinceps constituto Senatus Consulto fuerit nuncupatus. Atque hujus anni Juliani ordinem religiose observavit Europa omnis usque ad tempora Gregorii Papæ XIII. Denique annus Gregorianus est ipse annus Julianus, sed a summo Pontifice memorato correctus. Rei hujus occasio fuit discrimen, quod annum inter Astronomicum numeris suis absolutum & Julianum intercedit. Quippe quum Astronomicus Juliano minor sit undecim circiter minutis, horumque minutorum neglectus centum triginta trium annorum spatio integrum, & ultra, diem conficeret, factum est, ut intra temporis hujus intervallum uno die tardius Æquinoctium vernum inciperet in anno Astronomico, quam in Juliano. Unde porro contigit, ut ævo Gregorii XIII. ver-

num æquinoctium, quod tempore Nicæna Synodi regnante Constantino M. Imp. Patrum suffragio adsignatum fuit duodecimo Calendas Aprilis, seu vi gesima prima Martii sub tempus nocturnum, anno 1582. elapsis mille & trecentis annis observaretur cœpisse media nocte inter decimam & undecimam Martii, citius nimirum diebus decem. Quare eodem, de quo dixi anno (qui *Correctionis* annus adpellatur) post quartam Octobris diem S. Francisco Seraphico sacram iussu Gregorii dies decem expuncti fuerint, ita ut quintam Octobris exciperet decima quinta ejusdem mensis. Hoc negotium qua ratione confectum fuerit, statim docebimus. Jam vero exposita solaris anni historia superest annus lunaris Politicus, qui spatium temporis complectitur, quod ex mensibus alternis viginti novem, aut triginta dierum nulla habita ratione scrupulorum seu minutorum componitur. Dividitur in Communem sive simplicem, & in Embolismicum sive compositum: prior duodecim *lunationibus* ut vocant, circumscriptus plerumque dies numerat trecentos quinquaginta quatuor, aliquando trecentos quinquaginta tres: tot enim die-

dierum lapsu luna duodecies soli conjungitur: posterior e *lunationibus* tredecim conflatur, censetque dies vel trecentos octoginta quatuor, si plenus sit; vel si deficiens aut cavus uti adpellant, trecentos octoginta tres. Porro una *lunatio* politica alterna dies modo triginta, modo viginti novem complectitur, ut nimirum hac ratione duodecim illæ horæ minutaque quadraginta quatuor, quibus *lunatio* media Astronomica gaudet, compensetur.

LXXIV.

Tempus Ecclesiasticum.

Denique tempus Ecclesiasticum, per quod intelligitur ordo dierum, hebdomadarum, & mensium anni totius, ab Ecclesia Dei statutus pro publico divini cultus exercitio, hebdomadam ita partitur, ut primum ejus diem memorie Christi Resurgentis sacrum, Dominicum adpellet, secundum vero Feriam secundam, tertiam & ita deinceps, ultimo duntaxat excepto, qui Sabbati nomen retinuit. Præterea festos quosdam dies toti populo Dei electo com-

munes statis anni temporibus designavit. Alia autem festa sunt *Immobilia* seu certis mensium diebus affixa, quamvis in alios atque alios hebdomadæ dies incidunt, uti *Festum Nativitatis*, *Circumcisionis Christi*, &c. Alia *Mobilia*, quæ licet iisdem semper hebdomadæ, modo tamen his modo aliis mensium diebus celebrantur, uti sunt *Festa Paschatis*, *Ascensionis*, *Pentecostes*, &c. Quare ut hæc festa in ordinem redigerentur ab Ecclesia, in Synodo Nicæna annum elegit Julianum tum solarem tum lunarem: priorem scilicet ob festa mobilia, posteriorem ob immobilia. Atque ita uterque annus in unum velut conflatus anni Ecclesiastici nomen obtinuit. Hæc ut recte intelligantur, quedam Fastorum Ecclesiasticorum, quos Calendarium nuncupant, prærogativæ sunt præmittendæ.

1. Cyclus est quævis annorum periodus velut in circulum rediens. Solaris viginti octo annos complectitur, quibus absolutis ad eundem diem *Littera Dominicalis* revertitur, eadem serie feriarum, quibus septem primæ alphabeti litteræ ordine retrogrado implicantur. Lunaris vero est intervallum novendicim anno-

rum,

rum, quod Græci Enneadecaeteridem appellant, cuius inventor esse fertur Methon Atheniensis anno ante Æram Christi vulgarem circiter quadringentesimo trigesimo primo, dum annis totidem, nempe novendecim, *Novilunia* ad pristinas fere sedes, & ad eundem anni solaris die in reverti animadvertisit. Hac computatione persuasa Ecclesia Catholica anno 285. Cycli lunaris numerum fastis suis adscripsit, quem quia auro notabatur, numerum aureum nuncupavit.

2. *Cyclus Epactarum* aureo respondet numero, illumque non satis perfectum corrigit. Sunt autem Epactæ numerus dierum, quibus annus solaris communis dies trecentos sexaginta quinque complectens annum communem lunarem dierum trecentorum quinquaginta quatuor excedit, ita ut Epactæ primi anni sint dies undecim, atque adeo sequente anno nova luna contingat undecim diebus citius, quam proximo: Epactæ vero anni secundi viginti duo, tertii triginta tres; a quo numero quum rejici debeat triginta dies, qui *lunationem embolismalem* conficiunt, relinquuntur tres, & ita deinceps. Progrediuntur autem Epactæ

H h 5

per

per continuum augmentum undecim dic-
rum, abjectis triginta, quando rejici possunt.
Solum tunc, quando per ventum fuerit
ad ultimam Epactam, aureo numero de-
cimo nono respondentem, quæ est vige-
sima nona, adduntur duodecim eo fine,
ut abjectis triginta ex composito mume-
ro quadragesimo primo habeatur rursus
Epacta, ut in principio.

3. *Cyclus Indictionum* est intervallum
annorum quindecim. Nominis sui ety-
mon debet quindecim annorum circulo,
quo evoluto indicta Romani Imperii di-
ctionibus vectigalia pendebantur, militum
stipendiis potissimum destinata. Sunt,
qui indictionum originem Augusto Cæ-
sari adscribunt, tributi solvendi tempus
primum indicenti, adeo ut primo quin-
quennio pendi debuerit aurum ad ostendendam
populi Romani majestatem, al-
tero argentum pro militum stipendiis,
tertio æs & ferrum pro instaurando ar-
morum & pecuniarum ex ære tum tem-
poris cudi solitarum adparatu. Alii ta-
men melioribus innixi argumentis Indi-
ctiones in acceptis referunt Constantino
M. utpote quas abrogatis olympiadibus
& lustris substituit ipsis Januarii Calen-
dis.

Hinc quum indictiones istae initium traxerint a primordiis Christianæ libertatis eo tempore vindicatae, quo Constantinus Maxentio devicto cuilibet potestatem fecit Christianam fidem palam profitendi, etiam Ecclesia Catholica Petavio teste anno Christi 312. Cyclum Indictionis adhibere cœpit, quo etiamnum hodie in suis Diplomatibus Romani Pontifices utuntur. Cyclus tamen hic nullam cum cœlo contrahit affinitatem, sed unice sicut pro hominum arbitrio quindecim annorum spatio definitus, & ad tributorum exactionem institutus. Maximum autem expositi tres cycli Solis, Lunæ, atque Indictionum Chronologiæ adferunt emolumendum. Nam pro certissimis anni cuiusvis characteribus habentur, ita si aliquid contigisse dicatur eo anno, quo Cyclus solis erat vg. 5. lunæ. 7. Indict. 10. absque hæsitatione in notitiam anni ante vel post Christi æram veniri possit, cui illæ notæ conveniunt. Prixin vero memoratos investigandi supputandique cyclos subministrabit Lectori Tabella Feftorum Mobilium temporaria, Horarum Canoniarum volumini præfixa.

His itaque præmissis pauca de anno Ecclesiastico ac Calendario Gregorii XIII. P. M. iussu emendato subjungere licet. Ut rem ab origine repetam, annus numerat menses duodecim, hebdomadas duas & quinquaginta, diemque unum: universim vero trecentos sexaginta quinque, ac fere sex horas. Tanto enim temporis intervallo Zodiacum sol ob-eundo iustrat. Sex autem horæ quater in se ductæ singulis quaternis annis diem conficiunt. Hinc annus ille intercalaris Bissextilis dicitur. Jam vero quum memoratae sex horæ non sint integræ, deficientibus aliquot minutis, horum neglectu factum est, ut minuta, quæ ultra debitam mensuram singulis annis tribuebantur, tractu temporis ad eum excreverint numerum, ut invicem juncta dies decem constituerint, verumque æquinoctium sedem suam mutaverit. Res hæc Concilii Nicæni Decretum de Paschatis die celebrando, quod totius orbis Catholici consensu hactenus receptum fuit, certum in discrimen conjicere visa est. Statuit enim Concilium istud Oecumenicum, ut Pascha Christianorum semper Dominica post plenilunium vernum, seu Lunam decimam quartam proxime sequen-

quente celebraretur, ne Christiani cum Judæis tunc illud agentibus concurrent. Hoc igitur malum ut averteret Gregorius Pont. peritissimos ex orbe toto Mathematicos ad Calendarium Julianum corrigendum circa annum 1579-maturo sane consilio convocabat, perque integrum triennium hoc in opere perficiendo tenuit occupatos. Atque horum opera non solum æquinoctium vernum pristinæ sedi restituit (a qua æquinoctium hoc jam a Concilio Nicæno ad XII. Calend. April. constitutum, decem circiter diebus anno Correctionis memorato recesserat) & XIV. Lunam Paschalem suo in loco reposuit, sed viam quoque monstravit rationemque, qua cavitur, ut fututis temporibus & æquinoctium & decima quarta Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam deinceps moverentur. Quippe ut æquinoctium vernum ad XII. Calend. April. restitueretur, statuit, ut decem dies, quorum memini, e mense Octobri ipsius anni 1582. expungerentur, ita ut post quartam diem Octobris D. Francisco Sera-phico sacram sequens non esset quinta, sed decima quinta illius mensis. Atque ita error, qui in tempus præteritum tot

an-

annorum lapsu irrepererat, velut in momento sublatus fuit. Ut autem imposterum ille error evitaretur, ne scilicet a XII. Calend. April. Æquinoctium vernum denuo recederet, statuit Gregorius, Bisextum quarto quoque anno (ut moris erat) continuari debere, exceptis centesimis quibusque annis, qui quamvis bissextilles antea semper fuerint (quam lem etiam esse voluit annum M DC, correctionis anno proximum) post eum tamen sancivit, ut qui deinceps occurrerent centesimi, non omnes bissextilles essent, sed in quadringentis quibusvis annis primi tres centesimi sine bissexto transigerrentur: quartus vero centesimus esset bissextilis, ita ut annus 1800: 1900 bissextilles non sint, anno autem 2000 more consueto dies bissexturnus intercalaretur, Februario dies 29. numerante: idemque ordo intermittendi ac intercalandi bisextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Annum Ecclesiasticum & Calendarium Gregorianum tam felici successu emendatum totus propemodum orbis Christianus cum plausu exceptit, ac ci-
vita-

vitate donavit, exceptis duntaxat in Imperio Romano Lutheri Aſſeclis, quos Protestantates adpellant. Hi tacito quodam invidiæ erga Sedem Apostolicam spiritu in transversum acti pro anno vetere Juliano veluti pro aris & focis pugnarunt. Hinc ortæ in Fastis voces: *Styli novi & veteris.* Verum ubi anno 1700. animadverterunt, quod totis undecim diebus discrepare cogerentur, nisi se Catholicis conformarent, & Calendarium Gregorianum reciperent, tandem politicis rationibus, maxime mercimoniorum, plus quam veritate rei persuasi illud admiserunt. Ne tamen omnino Catholicorum partibus assentiri viderentur, rejectis Gregorianis Cyclis, quorum ope illi diem Paschatis, & quæ ab eo dependent festa, facili labore invenire consueverunt, calculum Astronomicum sunt secuti, quem tamen Patres Concilii Nicæni, inter quos teste S. Ambroſio (k) multi fuerunt artis ineundi calculum peritissimi, merito repudiarunt tanquam præſenti negotio non satis aptum. Hoc male fausto duce, calculo inquam astronomico, a recto iterum tramite anno 1724. aberrarunt

Ac.

(k) *In Enarrat. de Pasch. Celebrat.*

Acatholici, utpote quo Pascha octiduo citius, & quidem eadem die naturali, qua Judæi, celebrarunt, qui error ad annum quoque 1744. se propagavit, & ad annos 1778, pluresque sequentes se propagabit, nisi maturo consilio (uti jam fecisse multis in locis videntur) mentem meliorem induerint, quam illis abunde suggessit insignis lucubratio a P. Josepho Falck S. J. eximio sane ac in paucis celebratissimo per Germaniam Mathematico in lucem ante annos complures edita, & communi doctorum suffragio adprobata.

Jam vero exposito triplicis generis tempore, Astronomico scilicet, Politico & Ecclesiastico, tempus est ut vela contraham, & emenſō cœli Oceano portum ingrediar. Fateor, iliadē in nuce conclusisse videri possum, dum Matheſin qua universam, qua nobiliores ejus partes, quæ res integra ſibi volumina merito vendicat, ſatis arctos intra limites complexus ſum. Exiguum nimis hoc opus est, ſi cuncta scientiæ hujus profecto diuinæ arcana pandere aut investigare animus foret: ſatis tamen prolixum, ſi fini, quem calamo meo præfixi, religioſe inhæream. Nimirum hic aliud non est,


quam

quam ut nobilissimam hanc scientiam a primis incunabulis ad eam usque, quam nunc vivit, proiectam ætatem, suisque numeris absolutam, utile dulci miscendo persequerer, ac omissis rerum abstrusarum ambagibus faciliter amoenaque methodo ea exponerem, quæ lectorem nec nimia mole obruerent, nec tamen eruditio-
nis ac scientiæ avidum optato
destituerent fructu.



NB. Pag. 403. Lin. 24. & 29. Item Pag.
404. Lin. 4. *loco* tres & trium *lege* tre-
decim.

INDEX



INDEX RERUM ET VERBORUM LIBRI IX.

L. Indicat Librum. N. Numerum
Libri.

A.

- Abdallam Almanus eximius cultor Ma-*
tbeseos, celebris ob dimensionem Meri-
diani. L. 9. N. 6.
- Abraham Matheos docuit Chaldaeos, postea*
Egyptios. L. 9. N. 3.
- Academiæ & Collegia Mathematica.*
L. 9. N. 1.
- Adam matheos primus docuit posteros suos.*
L. 9. N. 3.
Adami

Index Rer. & Verb. Lib. IX.

- Adam ubi habitarit paradiſo ejecitus.* L. 9. N. 20.
*Adami familia per vicinas Damasco regio-
nes ſeſe extendit.* L. 9. N. 20.
*Aerometria eſt ſcientia metiendi aerem :
ejus proprietates : instrumenta, quibus
utitur.* L. 9. N. 13.
Ædificia primorum hominum. L. 9.
N. 32.
Ædificia publica & privata quānam. L. 9.
N. 41.
*Ædificii tres partes: fundamentum, ſtru-
ctura, teclum.* L. 9. N. 41.
*Ægyptii ingentes ſtruxerunt moles : Mau-
ſolea, Pyramides, Obeliftos, &c.* L. 9.
N. 38.
*Africæ Veteris limites : ejus longitudo &
latitudo : diviſio in novem regiones : ba-
rum deſcriptio.* L. 9. N. 26.
*Africæ hodiernæ diviſio in tredecim regio-
nes : harum brevis deſcriptio.* L. 9.
N. 30.
*Africæ tribuuntur centum millions inco-
larum.* L. 9. N. 30.
*B. Albertus M. inclytus ob Mathematica
opera.* L. 9. N. 9.

XI Index Rerum

- Alpetragius Tychoni facem prætulit circa motum spiralem Planetarum.* L. 9.
N. 6.
- Alphonsus Rex Castiliæ, insignis Mathematicus: ejus tabulæ Alphonsianæ.* L. 9.
N. 9.
- Algebra est scientia, quæ ex quantitate nota dataque eruit incogitam ope aquilitatis: ejus divisio in numerosam & speciosam: vocatur Divina.* L. 9.
N. 14.
- Algebram numerosam invenisse fertur Diophantus: speciosam Franc. Vieta.* L. 9.
N. 14.
- America inventa a Columbus: magis determinata ab Americo Vespucio: an priscis fuerit incognita.* L. 9. N. 31.
- Ejus longitudo: divisio in partem Borealem & Australem: regna & regiones utriusque partis, eurumque descriptio.* L. 9. N. 31.
- America tribuuntur trecenti millions incolarum.* L. 9. N. 31.
- Analogia sphæra armillaris, & globi artificialis.* L. 9. N. 18.
- Aurus magicus Platonicus.* L. 9. N. 70.
- Aurus solaris astromagneticus.* L. 9. N. 72.
Luna-

Et Verborum Libri IX.

- Lunaris astronomicus. L. 9. N. 72.
Annus Politicus: Ægypticus, Julianus,
Gregorianus. L. 9. N. 72.
Anni divisio facta a Romulo: dein a Julio
Cæsare: tum ab Augusto. L. 9. N. 72.
Annus correctionis factæ a Gregorio XIII.
L. 9. N. 72.
Arca Noemica fuit idea profanarum æ-
diūm: ejus structura interior, & forma
exterior. L. 9. N. 35.
Archimedes Geometra summus: invenit
sphæram & cylindrum: struxit specula
parabolica. L. 9. N. 4.
Sphæræ Archimedis descriptio ex Lucano.
L. 9. N. 4.
Architeclonicae munus. L. 9. N. 1.
Architeclonica duplex est, Civilis & Mi-
litaris: prior docet fabricam ædificio-
rum, altera munimentorum. L. 9. N. 13.
Delineat quinque ordines columnarum.
L. 9. N. 13.
Architeclonica nascente mundo nata est.
L. 9. N. 32.
Architecti insignes recensentur. L. 9.
N. 38.
Architecturæ propagatio. L. 9. N. 38.

Index Rerum

- Architecturæ præclara opera Veterum.* L. 9. N. 39.
Sub Carolo M. multum profecit hæc scientia. L. 8. N. 39.
Seculo XIV. sub Pontificum in Urbem redditum cœpit restorescere. L. 9. N. 40.
Architectonicae præclara Opera Roma. L. 9. N. 40.
Architectonica civilis est scientia, quæ docet ædificia firma, commoda, & ornata construere. L. 9. N. 41.
Quinque Ordines Architectonici : eorum characteres. L. 9. N. 44.
Architectonica Polemica est scientia munendi locum, ac defendendi cum paucis contra multis. L. 9. N. 47.
Triplex classis Architectonicae militaris : Ichnographica, Orthographica & Scenographica. L. 9. N. 47.
Architecti munitionum insignes. L. 9. N. 51.
Arcuum in ædificiis variæ species L. 9. N. 41.
Aries veteris obſidionis instrumentum. L. 9. N. 45.
Arithmetica munus. L. 9. N. 1.
Arith.

Et Verborum Libri IX.

Arithmetica est scientia numerorum: gemina ejus officia: declarare naturam & proprietates numerorum, & inire eorum rationem ac proportionem ad se mutuo.

L. 9. N. 13.

Statuit certas regulas: auream, societatis & falsi.

L. 9. N. 13.

Aristoteles varia scripsit de rebus mathematicis.

L. 9. N. 4.

Armilla constructa in Aegypto magnis impensis.

L. 9. N. 3.

Asia vetus, ejusque divisio in Majorem & Minorem, harumque regiones.

L. 9.
N. 25.

Asiae hodiernæ descriptio & divisio: huic tribuuntur quingenti millions incolarum.

L. 9. N. 29.

Astronomiæ munus.

L. 9. N. 1.

Astronomiam quinam e recenioribus præcipue excoluerint.

L. 9. N. 10.

Astronomia est siderum scientia: dividitur in sphæricam, theoreticam, & chronologicam: singularum descriptio.

L. 9.
N. 14.

Primum obtinet inter alias scientias profanas: Recensentur publicæ ædes (Observatoria dicunt) in gratiam Astronomiæ

Index Rerum

- nominis variis in regionibus crevit.* L. 9.
N. 57.
- Præclara inventio Astronomica.* L. 9.
N. 58.
- Ejus doctrina sphærica, theoreta, &*
chronologica expositur. L. 9. N. 59.
- Asterismi seu Constellationes, curvilinee nu-*
merus. L. 9. N. 61.
- Astrologiam Veterum reprobant SS. Pa-*
tres. L. 9. N. 5.
- Augustus Cæsar Romanum lateritium inventis*
reliquit marmoreum. L. 9. N. 29.

B.

- Bertius (Petrus) theatrium veteris geo-*
graphiae in lucem dedit. L. 9. N. 17.
- Boetius (Severinus) horologium suum au-*
tomaticum, cum stimulacrum confidit.
L. 9. N. 5.
- a S. Boleso (Janus) incolitus Mathematicus,*
opusculum Sphæra. L. 9. N. 9.
- Britannia, ejusque insulae nationes.* L. 9.
N. 24.

C.

Et Verborum Libri IX.

C.

- Cain primus erat, qui urbem ædificavit
Henociam nomine.* L. 9. N. 33.
- Cadmus Thebis lapidinas primus invenisse
traditur.* L. 9. N. 33.
- Cæli natura, color, figura, moles & men-
sura.* L. 9. N. 60.
- Cælorum numerus & incolæ, seu planetæ ac
stellaæ fixæ.* L. 9. N. 60.
- Calendarii correlli historia: frustra huic
se opposuerunt Acatholici.* L. 9. N. 9.
- Cam post divisionem gentium insedit Afri-
cam.* L. 9. N. 20.
- Cami filii quas regiones inhabitarint.* L. 9.
N. 22.
- Carolus M. Mattheeos studium in Europa
promovit.* L. 9. N. 9.
- Cecrops primus urbem Cecropiam ædificasse
fertur.* L. 9. N. 33.
- Circuli globi cælestis, eorumque officium.*
L. 9. N. 60.
- Cinyras in Cypro tegulas, quibus ædes te-
guntur, invenisse scribitur.* L. 9.
N. 33.
- Chronologiæ munus.* L. 9. N. 1.

Index Rerum

- Chronologia determinat tempus e mensura
cursus siderum.* L. 9. N. 14.
- Comitum Jovis detectio vel a Mario, vel a
Galilaeo.* L. 9. N. 58.
- Cometarum systemata e veris exponitata.*
L. 9. N. 58.
- Eorum genesis: nucleus & cuncta: culus:
tempus durationis.* L. 9. N. 71.
- Cometarum species duodecim: eorum pro-
gnosis.* L. 9. N. 71.
- Commoditas structura adium: quid ad eam
pertineat.* L. 9. N. 43.
- Corona urbem cingere quid sit: ejus descri-
ptio.* L. 9. N. 54.
- Cyclus Epactiarum, ac Iudiciorum: horum
origo.* L. 9. N. 74.

D.

- Daciæ veteres incole.* L. 9. N. 24.
- Defensorum varie artes in obfusione.* L. 9.
N. 54.
- Deus mundum condidit ad leges Astronomi-
cas, Geometriæ ac Statistica.* L. 9. N. 3.
- Deum in mundo fabricando geometrisasse
ait Plato.* L. 9. N. 4.
- Deus

Et Verborum Libri IX.

*Deus ipse docuit Architeclonicam in Arca
Noe, in Tabernaculo Mosis, & templo
Salomonis.* L. 9. N. 33.

*Deus condendo sidera, & motum iis præ-
scribendo auctor est temporis & mensu-
ræ.* L. 9. N. 72.

Dies alius naturalis, alius artificialis.
L. 9. N. 72.

*Domos lateritias primi struxisse feruntur
Euryalus & Hyperbius.* L. 9. N. 33.

*Luteas primus struxisse traditur Doxius
Gelli filius.* L. 9. N. 33.

Dominium Romani Pontificis. L. 9.
N. 28.

E.

*Eclipses solis & lunæ quomodo & quando
flant.* L. 9. N. 67.

Pbænomena eclipsi solari propria. L. 9.
N. 67.

Eclipsis prodigiosa Christo moriente. L. 9.
N. 67.

Eclipsis lunaris, ejusque pbænomena. L. 9.
N. 68.

Superstitiones Veterum in eclipsi lunari.
L. 9. N. 68.

Ecli-

Index Rerum

- Eclipsium observatio.* L. 9. N. 68.
Ephemerides caelestium motuum quinam edidivint in lucem. L. 9. N. 58.
Epimenides Cretensis primus fana & delubra struxisse fertur. L. 9. N. 33.
Euclides elementa Geometriæ tradidit, aliosque libros scripsit. L. 9. N. 4.
Eudoxi immane votum de videndo cominus sole. L. 9. N. 65.
Europa : ejusdem termini, longitudo & latitudo: divisio veteris Europæ in regiones & insulas. L. 9. N. 24.
Europæ divisio recentiore ævo in regna & Respublicas. L. 9. N. 27. & 28.
Europæ tribuuntur centum millions incolarum- L. 9. N. 28.

F.

- Fabricæ mensura & proportio defumta ex humani corporis structura.* L. 9. N. 34.
Triplex contignatio in homine. L. 9. N. 34.
Feriae : Hebdomas Ecclesiastica in ferias distributa. L. 9. N. 74.
Festa mobilia & immobilia. L. 9. N. 74.
 Filiii

Et Verborum Libri IX.

- Filiis Setib duas columnas erexit feruntur,
quibus cœlestium rerum notitiam inscri-
perunt. L. 9. N. 3.
- Firmitas structuræ: quænam ad illam re-
quirantur. L. 9. N. 42.
- Fridericus II. Imp. impensè coluit mathe-
sin. L. 9. N. 9.
- Frontispicia struendi ratio. L. 9.
N. 44.
- Fundamentum structuræ quomodo jacien-
dum: quomodo faciendum tecum. L. 9.
N. 42.

G.

- Galliæ veteris incolæ. L. 9. N. 24.
- Geographiæ munus. L. 9. N. 1.
- Geographia est scientia dimetiendi & de-
scribendi globum terraqueum: agit quo-
que de mappis geographicis. L. 9.
N. 14.
- Geographicas descriptiones primus e S. Scri-
ptoribus reliquit Moses: e profanis Ho-
merus. L. 9. N. 17.
- Geographiæ divisio in mathematicam, na-
turalem, & politicam: singularum ex-
plicatio. L. 9. N. 18.
Alia

Index Rerum

- Alia divisio in Veterem a mundi exordio ad Monarchiam Romanam: in Medium usque ad Carolum M.: in Novam usque ad nostra tempora. L. 9. N. 18.
- Geometricæ munus. L. 9. N. 1.
- Geometria est telluris dimensio: extendit se ad lineas, superficies, & corpora: dividitur in Longimetrum, Planimetrum & Stereometrum. L. 9. N. 13.
- Germania veteris populi. L. 9. N. 24.
- Globi terrauei peripheria, superficies, soliditas, diameter terræ. L. 9. N. 18.
- Globus artificialis pro terra exhibendus. L. 9. N. 18.
- Globus celestis, ejusque circuli mobiles & immobiles. L. 9. N. 61.
- Geometricæ munus. L. 9. N. 1.
- Geometria est scientia delineandi humilitate trum solidorum quam solidorum: datur methodum inscribendi figura & lumen diversas. L. 9. N. 14.
- Graci doctores matrisficiis nrauiscentur. L. 9. N. 4.
- Grindelius S. J. Luna fuziem detinuit. L. 9. N. 55.

H.

& Verborum Libri IX.

H.

- Habasch astronomicas tabulas composuit.* L. 9. N. 6.
Habitationum primarum formæ apud varias gentes. L. 9. N. 32.
Haly Aben-Rodoan thema Cometæ condidit. L. 9. N. 6.
Hebdomas politica. L. 9. N. 73.
Dies hebdomadæ, quare vocentur solis, lunæ, martis, &c. L. 9. N. 73.
Hebdomas Ecclesiastica distributa in ferias. L. 9. N. 73.
Henricus Joannis Lusitaniæ Regis filius primus mappas hydrographicæ invenit. L. 9. N. 19.
B. Hermannus Contractus, cultor mathe- seos. L. 9. N. 9.
Hippocrates primus tentavit quadraturam circuli & duplicationem cubi. L. 9. N. 4.
Hispaniæ veteris populi. L. 9. N. 24.
Hiram Tyrius Architectus templi Salomonici. L. 9. N. 38.
Ho-Cbig-tien Imp. Sinarum insignem
quæ-

Index Rerum

- quandam machinam seu globum confici
jussit. L. 9. N. 8.
- Holagu Imp. Persicus speculam mathemati-
cam exstruxit an. 1259. L. 9. N. 7.
- Hondaeus (Jodocus) recentis Geographiae
Atlantem edidit. L. 9. N. 17.
- Homines Joviales. L. 9. N. 69.
- Horas quomodo numerent Chaldaei sive Ba-
bilonii, Itali, Aegyptii, Germani.
L. 9. N. 73.
- Horographia est scientia delineandi horolo-
gia tam solaria quam siderea: docet me-
thodum inscribendi signa & horas diver-
sas. L. 9. N. 14.
- Horologium astronomicum Dasipodii Ar-
gentinæ. L. 9. N. 57.
- Hydrostatica seu Hydraulicæ versatur cir-
ca fluidorum pondera tum inter se, tum
cum solidis comparanda, & circa aqua-
rum ascensum. L. 9. N. 13.

I.

- Jabel primus tentoria seu agrestes casas
struxit. L. 9. N. 33.
- Jansonius orbis antiqui Atlantem in lucem
dedit. L. 9. N. 17.
- Japhet

Et Verborum Libri LX.

- Japhet post divisionem gentium insedit Europam. L. 9. N. 20.
Japheti filii quas regiones inhabitarint. L. 9. N. 23.
Ichnographia fabricæ cum illis, quæ ad eam pertinent. L. 9. N. 41.
Ichnographia munimenti. L. 9. N. 48.
Illyricum cum priscis incolis. L. 9. N. 24.
Imperatores, qui Matthesin coluerunt. L. 9. N. 5.
Imperatores, qui Romanam ædificiis & operibus publicis exornarunt. L. 9. N. 39.
Imperia tria in Europa. L. 9. N. 28.
Inventiones horologiorum, telescopiorum,
&c. L. 9. N. 58.
Jupiter conqueritur contra Archimedem ob fabricatam sphæram cœlestem. L. 9. N. 57.
Jovis indoles, fasciæ, comites & apparen-
tia. L. 9. N. 69.
Italiæ veteres incolæ. L. 9. N. 24.

L.

- Lunæ natura: constat montibus, vallibus
& aquis. L. 9. N. 66.
Ejus atmosphæra, phasæ, distantia a ter-
ra, & magnitudo. L. 9. N. 66.

Caret

Index Rerum

Caret propria luce, quam accipit a sole.
L. 9. N. 66.

Lunæ maculæ, earumque phænomena.
L. 9. N. 66.

Lucani testimonium de Julii Cæsaris studio astronomico & architectonico.
L. 9. N. 5.

M.

Macedoniae ac Mæsiæ veteres incole.
L. 9. N. 24.

*Machinarum bellicarum usus vetustissimus
jam a tempore Mosis.* L. 9. N. 53.
Earum inventio & initium a quo?
L. 9. N. 53.

*Machinarum bellicarum apud priscos qua-
tuor classes: ad eluctandum in muros,
ad infestandos defensores, ad cuniculos
agendos, ad muros subvertendos.*
L. 9. N. 53.

*Mappas geographicas recentiores quinam
confecerint.* L. 9. N. 17.

*Mapparum veterum variæ formæ: earum-
dem auctores.* L. 9. N. 19.

*Mapparum triplex genus: Generales, Cho-
rographicæ, & Topographicæ.*
L. 9. N. 19.

Martis

Et Verborum Libri IX.

- Martis iudeles, ejus umbo, & apparentia.* L. 9. N. 69.
Matheos dignitas, necessitas, & utilitas. L. 9. N. 1.
Extendit se ad omnia. quæ in cælo & in terra continentur. L. 9. N. 1.
Ejus Encomium e Seneca. L. 9. N. 1.
Mathesis plurimum prodest Theologis ad intelligendam S. Scripturam: Jurisconsultis ad lites dirimendas: Medicis ad sanandos ægrotos: Philosophis ad Physicam: aliis quoque Artificibus & Opificibus. L. 9. N. 1.
Mathesis est scientia quantitatis mensurabilis tam discretæ quam continuæ. L. 9. N. 2.
Ejusdem species duæ simplices, nempe Arithmetica, & Geometria, e quibus reliquæ sunt tortæ. L. 9. N. 2.
Mathematici celebres in regno Sinarum e Societate JESU. L. 9. N. 11.
Mathematici celebres in Europa e Societate JESU. L. 9. N. 11.
Mathesin integrum quinam libris suis complexi sint: quinam compendia scripserint. L. 9. N. 12.

Index Rerum

- Materia ad fabricam qualis requiratur.* L. 9. N. 42.
Mechanicae munus. L. 9. N. 1.
*Mechanica versatur circa machinas tum
simplices tum compositas: tria genera
vectis.* L. 9. N. 13.
*Mensuræ: digitus, palma, pes, cubitus, ex
humano corpore sunt defunctæ.* L. 9. N. 34.
Mensis solaris & lunaris. L. 9. N. 72.
Mensis Politicus: Calendæ, Idus, Nonæ. L. 9. N. 73.
Mensis Julius & Augustus unde dicantur. L. 9. N. 73.
*Mercurii indeoles: ejus apparentia varia:
difficilis videri.* L. 9. N. 69.
*Mercator (Gerbardus) recentioris geo-
graphicæ Atlantem edidit.* L. 9. N. 17.
*Moses Arithmeticae, Geometriae, Architec-
tonicae civilis & militaris, ac Astrono-
mia peritum se ostendit in sacris, quos
scripsit, libris.* L. 9. N. 3.
*Motus siderum communis: ejus arcana pan-
duntur.* L. 9. N. 62.
*Motus siderum omnium & singulorum pro-
prius super axem Zodiaci secundum se-
riem signorum.* L. 9. N. 64.
Motus proprius planetarum peculiaris. L. 8. N. 64.

Et Verborum Libri IX.

- Motus primi & secundi harmonia mirabilis.* L. 9. N. 64.
Motuum cœlestium arcana. L. 9. N. 64.
Muchamedes Albategnius universæ Astronomiæ volumen edidit. L. 9. N. 6.
Muri Pyrei, Athenarum, Tyri, Carthaginis describuntur. L. 9. N. 46.
Munitionis veteris origo, progressus & terminus. L. 9. N. 45.
Munitionum & obsidionum vestigia exstant in S. Scriptura. L. 9. N. 45.
Item vetustissimis temporibus apud Græcos & Romanos. L. 9. N. 45.
Munitiones factæ sunt primo senticetis & palis : tum muro simplici : postea vallis & fossis : demum turribus quadratis & rotundis. L. 9. N. 45.
Munimentum hodie dividitur in opera interiora, ut sunt propugnacula & cortinæ : ac in exteriora, ut sunt fossæ, parvulæ, forcipes, opera cornuta & coronata. L. 9. N. 47.
Munimenta alia sunt regularia, alia irregularia. L. 9. N. 47. & 51.
Munitionis duplex methodus, in charta & in campo. L. 9. N. 51.
Muniendi methodus, præcipue Belgica & Gallica. L. 9. N. 51.
Munitionis analogia in corde humano cum munitione urbis. L. 9. N. 51.

Index Rerum

*In Munitione attendendum maxime ad si-
tum loci : ubi de arcibus & castellis.*

L. 9. N. 52.

N.

Navis prima fuit Arca Noemica.

L. 6. N. 16.

*Navigatio : primum tentata circa litora :
tum stellis ducibus : denique inventa pi-
xide nautica , & rosa ventorum.*

L. 9. N. 16.

*Navigationes variorum per totum globum
terraqueum institutæ recensentur.*

L. 9. N. 16.

Neperi Joannis canon Logorithmorum.

L. 9. N. 58.

O.

*Observationes a Blanchino factæ Hesperi &
Phosphori.* L. 9. N. 58.

*Observationes cœlestium commodissimæ in
Arabia.* L. 9. N. 6.

*Obsidendi ac defendendi urbem modus pri-
scis usitatus.* L. 9. N. 54.

*Obsidionis veteris tria genera : tumultua-
rium : per bellicas machinas : per ignes
varios.* L. 9. N. 54.

*Obsidionis hodiernæ bellicus adparatus tri-
plex : 1. dum urbi obsidentes appropin-
quant.*

Et Verborum Libri IX.

- quant. 2. dum oppugnant. 3. dum expugnant. L. 9. N. 55.
- Desribuntur fossæ, suggestus, & instrumenta bellica. L. 9. N. 55.
- Obsidionis totius series: initium, medium, & finis, item defensionis methodus. L. 9. N. 56.
- Opera interiora & exteriora munimenti, & singula, quæ ad ea pertinent, describuntur. L. 9. N. 74.
- Optica est scientia pertinens ad sensum visus: dividitur in Opticam, Catoptricam, & Dioptricam: agit de radiis directis, reflexis. & refractis. L. 9. N. 14.
- Orbis terrauei notitia literatis hominibus necessaria. L. 9. N. 15.
- Hæc ad nos pervenit tum per peregrinationes primorum hominum, tum per expeditiones bellicas, tum per Praecones Verbi divini. L. 9. N. 15.
- Eiusdem notitia circa insulas & maria per navigationes. L. 9. N. 16.
- Orbis terrarum Caroli M. tempore alias faciem induit, maxime Europa, ejusque regna L. 9. N. 27.
- Ordo triplex discentium Matbesin. L. 9. N. 4.
- Ordines quinque Architeclonici: Tuscanus, Doricus, Jonicus, Corinthius, Romanus, K k 4 qui-

Index Rerum

- quibus accessit sextus Teutonicus: horum
characteres. L. 9. N. 44.
Ortelius (Abrahamus) thesaurum geogra-
phicum in lucem dedit. L. 9. N. 17.
Orthographia fabricæ. L. 9. N. 41.
Ortbographia monumenti. L. 9. N. 47. & 50.

P.

- Paulus V. Pont. Max. absolvit Vaticanam*
Basilicam. L. 9. N. 40.
Pannoniae veteris incolæ. L. 9. N. 24.
Paradisi locus. L. 9. N. 20.
Peirbachius in Germania instauravit Astro-
nominiam. L. 9. N. 10.
Periodus matheſeos prima & secunda.
L. 9. N. 3.
Tertia & quarta. L. 9. N. 4. & 5.
Quinta, & florentissima ætas Mathe-
ſeos. L. 9. N. 10.
Periodus prima & secunda orbis habitati.
L. 9. N. 20. & 24.
Ejusdem tertia. L. 9. N. 27.
Perſæ anni in ordinem redigendi, & Ca-
lendarii reformandi exemplum dederunt.
L. 9. N. 7.
Perspectiva pertinens ad Opticam.
L. 9. N. 14.
Picturæ megalographicæ, topiarie, sceno-
graphicæ. L. 9. N. 44.
Pixis

Et Verborum Libri IX.

- Pixis nautica : inventa a Joanne Goin.* L. 9. N. 16. & 19.
Philipi II. Rex Hispaniae struxit Escutiale. L. 9. N. 40.
Phoroneus Rex primam in Graecia Urbem Argos struxisse fertur. L. 9. N. 33.
Planetarum machina Parisiis fabricata ab Olao Ræmero. L. 9. N. 58.
Plato sectiones conicas & cylindricas invicit : Planetas & stellas in ordinem rededit. L. 9. N. 4.
Plauti elegans dictum de munitionibus urbium. L. 9. N. 33.
Polygonum in munimentis internum & externum, cum lateribus, centro & radio. L. 9. N. 47.
Porticus : ejus structura. L. 9. N. 44.
Propugnacula in munimentis successerunt turribus Veterum. L. 9. N. 46.
Ptolemaeus Philadelphus, Rex Aegypti, Museum seu Gymnasium excitavit, e quo præstantes Mathematici prodierunt. L. 9. N. 4.
Ptolemaeus Pelusiensis primus integrum Astronomiæ systema digessit. L. 9. N. 5.
Pulvis Pyrius. L. 9. N. 45.
Pythagoras scbolam mathematicam primus aperuit. L. 9. N. 4.
Pyrotechnica explicat machinarum bellicarum usum. L. 9. N. 13.

Index Rerum

R.

- Ramus (Petrus) Professor Parisiensis
Academie publice depraedicat necessita-
tem Matheos.* L. 9. N. 1.
- Regna quatuordecim Europæ* L. 9. N. 28.
- Regulæ Veterum circa muros tite struen-
dos.* L. 3. N. 42.
- Respublicæ in Europa majores quatuor.* L. 9. N. 28.
- Rhætiæ Veteris incolæ.* L. 9. N. 24.
- Ricciolus (Joan. Bapt.) S. J. Geogra-
phiæ ac Hydrographiæ reformator.* L. 9. N. 17.
- Romæ primi fluerunt in Matheo C. Sul-
pitius, & J. Cæsar.* L. 9. N. 5.
- Romulus fulco primam Romanam designavit.* L. 9. N. 33.
- Romanorum superba aedificia, templa,
porticus, thermæ, circi, &c.* L. 9. N. 38.
- Romæ eruta e terra veterum monumenta.* L. 9. N. 40.
- Romanos in Architectura aemulati sunt
Galli, Hispani, Angli, Belgæ, & Ger-
mani.* L. 9. N. 39.
- Rosa ventorum.* L. 9. N. 19.

S.

Et Verborum Libri IX.

S.

- Salomon primus Templum vero Deo dicatum erexit.* L. 9. N. 33.
Sarmatiae veteres incolæ. L. 9. N. 24.
Saturni, ejusque comitum observationes ab Hagenio factæ. L. 9. N. 58.
A Cassino in systema redactæ. L. 9. N. 58.
Saturni indoles; ejus ansæ, satellites, & apparentia. L. 9. N. 69.
Scenographia fabrieæ, ac munimenti. L. 9. N. 41. & 48.
Scheinerus (Christophorus) S. J. maculas solares Ingolstadii detexit. L. 9. N. 58.
Sem post divisionem gentium cum suis infedit Asiam. L. 9. N. 20.
Sem filii quas regiones inhabitarint. L. 9. N. 21.
Semiramis prima fertur Babylonem cinguisse muris. L. 9. N. 45.
Siderum nomina & figuræ, cum eorum numero. L. 9. N. 61.
Siderum, maxime planetarum ordo secundum altitudinem & distantiam a terra. L. 9. N. 63.

Sinen-

Index Rerum

- Sinensium Imperatores & Magistratus ab antiquissimis temporibus mathesin coluerunt.* L. 9. N. 8.
- Sinensium mathesis reformata a Patribus Soc. JEsu.* L. 9. N. 8.
- Celebres in finis Mathematici e Patribus Soc. JEsu.* L. 9. N. 11.
- Sixtus IV. alter Romulus pontem Tiberinum struxit, aliaque.* L. 9. N. 40.
- Sixtus V. plurima opera publica struxit Romæ.* L. 9. N. 40.
- Societates Regiæ, uti Parisiensis, Anglicana, Berolinensis, Petropolitana: item Instituta Bononiensis & Lipsiensis plurimum promoverunt mathesin.* L. 9. N. 10.
- Solis natura ignea esse ostenditur: ejus partes tum solidæ, tum fluidæ.* L. 9. N. 65.
- Solis figura, distantia & magnitudo, ac maculæ.* L. 9. N. 65.
- Ejus tripudium Paschale.* L. 9. N. 65.
- Macularum & Facularum solarium genesis, & phænomena.* L. 9. N. 65.
- Sphæram armillarem pro cœlo Astronomi, Geographi globum artificiale pro terra exhibenda excogitarunt.* L. 9. N. 18.

Statuae

ꝝ Verborum Libri IX.

- Statuae Architectonicæ, ut sunt Colossi,
Pariles, Telamones, Cariatides, simæ.
L. 9. N. 44.
- Stationes diurnæ quid sint: prima, tertia,
sexta, & nona. L. 9. N. 73.
- Stellæ fixæ propria gaudent luce: earundem
scintillatio. L. 9. N. 70.
- Stellarum fixarum numerus: distantia &
magnitudo motus. L. 9. N. 70.
- Stellæ crinitæ observatio a Cysato S. J.
facta Ingolstadii. L. 9. N. 58.
- Stellæ nebuloſæ. L. 9. N. 61.
- Sylvestris II. Pont. Max. ob matheſeos
scientiam & mira opera celebratissimus
fuit. L. 9. N. 9.
- Systema cœli quid sit. L. 9. N. 63.
- Systema Ptolemaicum, Copernicanum, &
Tycbonicum, borum explanatio.
L. 9. N. 73.

T.

- Tabernaculum Mosis, & Templum Salo-
monicum idea sacrarum ædium & tem-
plorum fuit. L. 9. N. 36.
- Tabernaculi descriptio cum ejusdem parti-
bus. L. 9. N. 36.
- Tecti fabrica in ædificio. L. 9. N. 42.

Tele-

Index Rerum

- Telescopii inventio.* L. 9. N. 58.
Novum Newtoni telescopium. L. 9. N. 58.
Templi Salomonici descriptio cum ejusdem partibus, & sacra suppellectile. L. 9. N. 37.
Tempus aliud est Astronomicum, aliud Ecclesiasticum, aliud Politicum. L. 9. N. 14. & 72.
Tbales de temporum ratione, de ventis, de siderum cursu, de triangulo & circulo præclare scripsit. L. 9. N. 4.
Tiberius Claudius Imp. eclypsis tempus prædixit. L. 9. N. 5.
Tribunalia tria Mathematica in regno Sinarum : earundem descriptio. L. 9. N. 11.
Trigonometria est resolutio triangulorum planorum, & sphæricorum : modus resolvendi. L. 9. N. 13.
Tsin - Chiboang Imper. Sinarum tribunal mathematicum erexit an. 206. ante Christum natum. L. 9. N. 8.
Turrium descriptio ex Vitruvio & Vettio : turrium Jerosolymæ e Josepbo. L. 9. N. 46.
Tyrii struere palatia & templia cœperunt pot templum Salomonicum. L. 9. N. 38.
Tyrrhe-

¶ Verborum Libri IX.

Tyrrheni domibus porticus addiderunt pri-
mi. L. 9. N. 33.

V.

Vallum munimenti cum ejus partibus.
L. 9. N. 49.

Vaticani Templi descriptio : insignes Ar-
chitecti hujus fabricæ, Pictores & orna-
menta. L. 9. N. 40.

Veneti Basilicam D. Marci condunt.
L. 9. N. 40.

Venustris fabricæ interior & exterior :
quaæ ad eam pertineant. L. 9. N. 44.

Veneris indoles : ejus phases : maculæ.
L. 9. N. 69.

Veneris solem transeuntis observatio Ho-
roccii. L. 9. N. 58.

Vestam Saturni filiam primam architectan-
di artem invenisse Poetæ fabulantur.
L. 9. N. 33.

Via lactea in cælo. L. 9. N. 61.

Vigiliae nocturnæ quid sint : prima, tertia,
sexta & nona. L. 9. N. 73.

Vindelicæ Veteris incolæ. L. 9. N. 24.

Virgilius matheſeos cultor. L. 9. N. 5.

Vitru-

Index Rer. & Verb. Lib. IX.

Vitruvius Pollio insignis Architectus.

L. 9. N. 5. & 38.

Vitruvii descriptio Architectonicae pro-
gradientis.


L. 9. N. 32.




LIB. X.

LIBER X.
DE
MEDICINA.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. X.





EPITOME
LIBRI X.
DE
MEDICINA.

CAPUT I.
PRÆSTANTIA ET GE-
NEALOGIA MEDI-
CINÆ.

§. I.

Encomium.

I.

*Medici & custodes & vindices sa-
nitatis sunt constituti. Comparan-
tuntur Ethicis, Regibus, & ipsi quo-
dam-*

Epitome Libri X.

dammodo Deo. Testimonium S. Scripturæ de Medicinæ ortu, & Medicis honorandis.

II.

Functiones propriæ hujus artis sunt, scilicet investigatio 1. humani corporis partium, totiusque fabricæ. 2. causarum conservantium & destruentium sanitatem. 3. remediorum & pharmacorum. Etiam melioris hominum partis, nempe animi, curam gerit.

§. II.

Historia Medicinae.

III.

Origo Medicinæ a Deo. De sanguino vitæ in paradiſo: post diluvium reliquiae hujus artis in Noemo & posteris relittiæ, & a Salomone fuerunt propagatae.

IV.

Primus inventor celebratur Apollo: post hunc Aesculapius, Podalirius, & Ma-

Epitome Libri X.

Machaon eam excoluerunt. Diu illius notitia & professio in familia Asclepiadarum permanxit, e qua originem duxit Hippocrates. Hic primus eam in artem redegit. Ejus encomium.

§. III.

Propagatio Medicinae.

V.

Præcipuae sectæ Medicæ: Empirica, Methodica, & Rationalis: harum Auditores & systemata exponuntur.

VI.

Medici a Romanis expulsi: cauſſæ exilii. Post sexcentos fere annos Hippocraticam ſectam reduxit Galenus: hujus elogium. Post multos annos Avicenna & Averroes Medici famosi in Hispania prodierunt.

VII.

Schola Medica Salernitana celebra-tur: ejus ortus & incrementum. Li-ber

Epitome Libri X.

*ter celebris scholæ hujus nomine editus
de conservanda valetudine.*

VIII.

*Seculo XVI. & XVII. rem Me-
dicam multum promoverunt Theophras-
tus Paracelsus, & Joan. Bapt. Hel-
montius. Utriusque ingenium, mores,
& doctrina. Recensentur alii, qui
Hippocraticam professi sunt.*

§. IV.

Incrementum artis Medicæ.

IX.

*Medicina Eclectica, cuius Auctor
Daniel Sennertus, Germanus. Inven-
ta nova & præclara in omni medicæ
artis genere enarrantur, & recensem-
tur celebriores illorum auctores, ac scri-
ptores. Medica disciplina ultimis tem-
poribus magnopere crevit adhibito chy-
miæ, pharmaceutices, mechanices, &
anatomiae studio.*

Epitome Libri X.

C A P U T II.

**O E C O N O M I A M E D I -
C I N Æ.**

§. I.

Ejusdem finitio & indoles.

X.

*D*iscrimen inter *Physicam* & *Medi-
cinam*. Quid propriæ sit Medi-
cina, ostenditur. Est ars simul &
scientia. *Officium Medici*. Quid sen-
tiendum de medicinis universalibus.

§. II.

Medicinae partitio.

XI.

1. In *Præservantem*, & *Reparan-
tem*.
2. In *Hygiasticam* & *Terapeu-
ticam*.
3. In *Diæticam*, *Pharmaceuticam*,
& *Chirurgicam*.
4. In *Physiologiam*,
Hygieien, *Pathologiam*, *Therapeuti-
cen*.
5. In *Physiologiam*, *Symiothi-
cam*,

Epitome Libri X.
cam, & Therapeuticam. Singulæ hæ
partes explicantur.

XII.

Variæ sedæ Medicorum: Alii sunt
Empirici, alii Methodici, alii Dogma-
tici seu Reales. Alii Galenici, Her-
metici, Paracelsiæ, Spagirici. Alii
Anatomici, alii Chymici.

CAPUT III. RATIO VITÆ ET SANITATIS.

§. I.

Indoles vitæ.

XIII.

Machina corporis humani quot offi-
bus, nervis, arteriis & venis, ac
musculis constet. Vita consistit in to-
tius machinæ, præcipue cordis, motu
& pulsu. Pendet a motione ac circui-
tione sanguinis.

XIV.

Epitome Libri X.

XIV.

Hallucinantur vehementer illi, qui vitam corporis humani in solo mehanismo ponunt absque interno aliquo principio. Demonstratur animam esse primum fontem & caussam principalem motus & vitæ corporis: instrumentalem vero esse spiritus. Quomodo solidæ & liquidæ partes debeant esse constitutæ ad vitam conservandam, ad quam etiam maxime juvat Diæta.

§. II.

Sanitatis Ratio.

XV.

Thesaurus hominis est sanitas, qui non aestimatur, quandiu possidetur. In quo Veteres & Recentiores Medici sanitatem constituant, expenditur. Qua ratione temperies partium fluidarum & solidarum obtineatur.

Epitome Libri X.

C A P U T IV.

*FABRICA CORPORIS
HUMANI.*

§. I.

S c e l e t o n.

XVI.

Dividitur præcipue in Caput, Truncum, & Artus. Caput comple-
titur cranium & faciem: Truncum
componunt spina, costæ, os anonymum,
os sternum, & claviculæ: Artus duo
sunt, manus & pedes. Ossium & offi-
ciorum numerus.

§. II.

Animalis regio.

XVII.

Corpus humanum in tres veluti re-
giones dividitur a Medicis: in Anima-
lem, Vitalem, & Naturalem. Ani-
malis completitur cerebrum, oculos,
au-

Epitome Libri X.

aures, linguam, nares, & nervos quinque sensibus proprios. Describuntur singula hæc membra. Quanam in parte visio & auditio fiat, examinatur: item, quid rei spiritus sint.

§. III.

Regio vitalis.

XVIII.

Continet hæc regio Cor, Pulmones cum venis & arteriis. Motus Systoles & Diastoles explicatur. Agitur de circulatione sanguinis.

§. IV.

Regio naturalis.

XIX.

Constat hæc regio hepate, ventriculo, liene, renibus, & intestinis cum mesenterio. Exponitur, qua ratione cibis in chylum, chylus in sanguinem, & sanguis in carnem transeat.

CA.

Epitome Libri X.

C A P U T V.

TEMPERAMENTUM.

§. I.

*Temperamenti indoles &
indicia.*

XX.

*S*ystema Veterum de quatuor temperamentis, ad quatuor elementorum proportionem ordinatis. *Systema Recentiorum*, qui temperamentū rationem in corporibus organicis constituunt in motione partium fluidarum, & relaxatione ac contractione solidarum.

XXI.

Consideratio temperamenti Sangui-nei, Cholerici, Phlegmatici, Melancholici: Singulorum dotes, effectus, indicia, & prognostica ex Schola Saternitana.

§. II.

Epitome Libri X.

§. II.

*Vis & virtus temperamenti in
fundiones corporis & animi.*

XXII.

*A temperamento plurimi morbi pro-
veniunt. Morbi familiares Cholerico-
rum, Melancholicorum, Sanguineorum,
Phlegmaticorum enumerantur.*

XXIII.

*Anima in quo sensu dependeat a
temperamento. Dux vice ad animam
in suis potentiis dirigendam & incli-
nandam : prima per sensiles imagines
& ideas : altera per organa & par-
tium fluidarum motiones. Ex tempe-
ramento oritur diversa habilitas ad ar-
tes & scientias : item ad officia Rei-
publicæ : ad vitia quoque & virtu-
tes multum confert temperamenti di-
versitas.*

XXIV.

Epitome Libri X.

XXIV.

Temperamentum multis mutationibus obnoxium est. 1. ratione ætatis. 2. ratione climatis. Illustratur res exemplis e Vitruvio. 3. ratione alimenti. 4. ratione ordinationis vitæ.

CAPUT VI.

*MEDICUS SUI IPSIUS,
SEU DIÆTA.*

§. I.

Diæta commendatio & vis.

XXV.

Diæta est medicina universalis, quam frustra Alchymistæ inquisierunt. Ingluvies fecit crescere morbos, & decrescere annos vitæ humanæ. Una est morborum omnium origo. Exempla longæ vitæ per diætam obtentæ in Socrate, Democrito, Hippocrate, Platone, Heroidico, Galeno, Ludovico Cor-
na-

Epitome Libri X.

*naro, Leonardo Lessio, & quibusdam
sanctis Eremi cultoribus.*

XXVI.

*Argumenta, quibus Diæta impugnatur, proponuntur, & enervantur.
Vana fiducia in robore corporis absque diæta.*

§. II.

Diæta ratio.

XXVII.

Diæta versatur circa cibum potumque moderandum. Duo fontes, unde morbi oriuntur negligèta diæta. Differitur de cibis. Medicorum censura in varia ciborum genera: mitigatur hæc censura. De simplicitate victus.

XXVIII.

Differitur de potu. Argumenta pro aqua contra vinum, & pro vino contra aquam. Componitur lis, & utra-

Epitome Libri X.

utraque pars conciliatur. Iudicium de variis potibus.

§. III.

Diæta servandæ methodus.

XXIX.

Veterum Medicorum methodus circa diætam. Non omnibus æqualis præscribi potest. Unde cognosci possit debita cibi potusve quantitas ac mensura.

XXX.

Regulæ circa mensuram viðius. An expeditat unica vice corpus reficere? quomodo sint juvandi, qui diætam servare nequeunt.

§. IV.

Diæta studiis deditorum.

XXXI.

Reipublicæ interest, ut Literati sanitatis curam magnam habeant. His ne-

Epitome Libri X.

necessaria est diaeta, tum ne laedant corporis vires studiorum assiduitate, tum ut inter studia mentem serenam servent.

XXXII.

Regulæ de valetudine conservanda pro literatis.

XXXIII.

Aliæ pro iisdem regulæ. De somno, cibo, & motu ad hunc finem necessario.

§. V.

Diaeta mentis.

XXXIV.

Animi ægritudines sunt periculosiores & graviores morbis corporis : his curandis diaeta plurimum confert. Oriuntur animi ægritudines a pravis adfectionibus, vulgo Passionibus.

XXXV.

Epitome Libri X.

XXXV.

Indoles pravarum adfectionum. Describuntur Ira, Tristitia, Metus, & Hilaritas: pessimi earum effectus. Quomodo sanari debeant.

C A P U T VII.

A D J U M E N T A A D S A-
N I T A T E M C O N S E R-
V A N D A M.

§. I.

Phlebotomia.

XXXVI.

Diversæ classes ægrotantium. Phlebotomiæ indoles & ratio. Argumenta contra phlebotomiæ usum: argumenta pro illius usu.

XXXVII.

Statuitur temperamentum, & ostenditur, quando sit salutaris, quando nociva phlebotomia.

§. II.

Epitome Libri X.

§. II.

Uſus medicamentorum.

XXXVIII.

Plerique cum tempore indigent medicamentis ad sanitatem conservandam: hujus rei cauſſæ. Quodlibet medicamentum simul aliquid detrimenti secum ad fert. Pharmaca fortiora plurimum nocent ac deſtruunt sanitatem.

§. III.

Somnus & Aer.

XXXIX.

Unum ex precipuis adjumentis est somnus. De tempore ac ſpatio ſomni. An ſomnus poſt meridiem fit falubris, nec ne.

XL.

Aeris ratio habenda illi, cui ſanitas curæ eſt. Differitur de aeris, ven-

Epitome Libri X.

torum, & plagarum conditione. Industriæ quædam defendendi se contra aeris injurias.

CAPUT VIII.

**VARIA MORBORUM
GENERALIA.**

§. I.

Morbi Capitis, Quinque sensuum, Pectoris, Pulmonum, Cordis, Ventriculi, Intestinorum.

XLI.

Morborum notitia ad quid profitatur. Recensentur morbi afficientes caput, & membra illius. Panduntur horum caussæ & effecta.

LXII.

Recensentur morbi affidentes sensus exteriores cum suis caussis & effectis.

XLIII.

Epitome Libri X.

XLIII.

*Similiter recensentur morbi afficien-
tes sensus interiores cum enarratione
caussarum & effectuum.*

§. II.

*Morbi Hepatis, Lienis, Mesen-
terii, Renum & Vesicæ : item
Febres.*

XLIV.

*Enumerantur morbi, qui partes
corporis interiores infestant. Caussæ
ac effectus illorum.*

XLV.

*Enumerantur morbi, quibus exterio-
res partes subjacent, & produntur cau-
sæ ac effectus. Morbi qui medelam
respuunt.*

Epitome Libri X.

C A P U T IX.

*M E T H O D U S M E-
D E N D I.*

§. I.

Cognitio Morbi.

XLVI.

Natura & ars in medendo sociantur: Medicus naturæ adjutor esse debet arte sua. Ante omnia ægroti naturam & vires exploratas habeat. Ejus officium est, ut cito, tuto, & jucunde medeatur.

XLVII.

Debet explorare Medicus omnes vias, ut in mali latentis cognitionem veniat. Qua ratione morbos aggredi oporteat, si sint simplices, disparati, complicati, aut connexi. Mensura pharmacorum tenenda est.

§. II.

Epitome Libri X.

§. III.

*Medicamentorum indoles &
virtus.*

XLVIII.

*Quadruplex confideratio circa quan-
titatem & qualitatem medicinæ. Du-
plex genus medicamentorum: evacuantia
& immutantia. Triplex modus eva-
cuandi corpus: per sudorem, per inci-
sionem venæ, per cauteria & empla-
stra.*

CAPUT X.
CRITICE MEDICA.

§. I.

Facienda Medico.

XLIX.

*Maximi momenti negotium est Me-
dicinæ vacare. Non sunt ad-
mittendi Medici, nisi post rigorosum
examen. De agyrtis, & medicamentis
domesticis.*

L.

Epitome Libri X.

L.

*Requiritur in Medico industria &
studium indefessum. Non debet se oc-
cupare aliis negotiis gravioribus. De
Philosophia Medicorum.*

§. II.

Vitanda Medico.


LI.

*Medicus ne sit avarus in expetenda
mercede : nec liberalis in danda &
præscribenda medicina.*

LII.

*Cavenda Medico nimia festinatio :
vana jačantia scientiæ : obstinatio pro-
prii iudicij, & dissimulatio periculi.*





LIBER X.
DE
MEDICINA.

CAPUT I.

**PRÆSTANTIA ET GE-
NEALOGIA MEDI-
CINÆ.**

§. I.

Encomium.

I.

Medicam artem pro merito suo laudare & stimareque vix possumus, quamdiu sanum integrumque corpus circumferimus, nullo morborum aut ægritudinis assultu tentatum. Nam quemadmodum orare ac Numinis auxilium implorare discimus in vitæ periculis con-

BIBLIOTHECA DOMESTICA LIB. X. A. sti-

stituti (*qui nescit orare, vadat ad mare*) ita in vota vocare Medicum, & ad illius opem confugere nos vel maxime docent imminentia morborum & mortis discrimina. Hinc recte Ovidius cecinit :

(a)

*Si valeant homines, ars tua Phœbe
jacet.*

Neque hoc mirum cuiquam videri debet, quum pauci sint, qui sanitatem, grande illud naturæ depositum, immo incomparabilem humanæ vitæ thesaurum dignenorunt suspicere, quamdiu illum possident, ita ut etiam in eo dissipando non raro prodigi sint. Hujus autem thesauri pretiosissimi & custodes, ut conservent, & vindices, ut perditum aut imminutum restaurent, cœli munere constituti sunt Medici. Profecto si dare vitam proprium Dei munus est, datam tueri aut lælam reparare, vel jam pene fugientem sistere ac retinere, quod Medicorum est, ministerium Deo proximum esse fateamur oportet, ita ut si in quoquam, certe in Medico locum habere videatur Græcum illud Αὐτοπτος ἀυτοπτε δαιμόνιος, *Homo homini Deus*. Sunt, qui artis hujus Antistites Ethicis, Regibus & Deo ipsi

com-

(a) Lib. 4. Trist.

comparare non dubitant: *Ethicis* quidem, quoniam teste Aristotele, qui Nicomachi Medici filius erat, quemadmodum *Ethicus* animum a perturbationibus, ita *Medicus* corpus a morbis sanat. (b) *Regibus*; nam *Medici*, ait Galenus, (c) ægris imperant, sicut *Ducees* militibus & *Reges* subditis: enimvero soli *Medico* subest, qui omnibus præest, & cui reliqui parent, ipse paret *Monarcha* *Archiatro* etiam molesta imperanti. Demum *Deo ipsi*. Hic enim licet gloriæ ab omnibus mille titulis sibi debitæ exactor perpetuus, non suum duntaxat, sed & *Medici* honorem disertissimis verbis præcipit: (d) *Honora Medicum propter necessitatem*; et enim illum creavit *Altissimus*; a *Deo est* enim omnis medela, & a *Rege* accipiet donationem. *Disciplina Medici* exaltabit caput illius, & in conspectu *Magnatorum* collaudabitur. *Altissimus* creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Sane quid in laudem Medicinæ ac Medicorum magnificentius dici queat, non video: honorari vult Numen medicum, nec in *necessitate* solummodo seu tem-

(b) *Lib. 1. Ethic. Cap. 13.*

(c) *Lib. Method. Medic.*

(d) *Ecccl. 38.*

tempore necessitatis per morbum imminentis, sed omni tempore propter necessitatem, utpote cui omnes serius aut cito subiecti sunt. Præterea singulari quadam prærogativa Medicum potentiam suæ velut primæ notæ Administrum esse declarat, dum a se utpote omnis medelæ fonte creatum, & ad munus tam sublimè adsumtum esse palam pronunciat. Dein disciplinam hanc, & illos qui eam profitentur, non solum honore, sed etiam donis Regum & Magnatum laudibus collendos esse docet. Denique virorum prudentum nomine insignit eos, qui medicamenta, dum scilicet sanitatis servandæ ratio suadet, a manu Medici petere ac recipere non detrectant.

II.

Sed ut clarius ac manifestius artis Medicæ præstantia omnium oculis patet, ad ipsas disciplinæ huic proprias functiones proprius accedamus, quibus in totum & microcosmum seu parvum, & megacosmum seu magnum Mundum, ejusque partes etiam arcanissimas latissime dominatur. Primo enim admirabilem illam humani corporis fabricam multa indagine perlustratam explicat, ossa nimirum omnia, cartilagines, musculos, liga-

ligamina, partes item nutriendo corpori famulantes ac propagandæ speciei inser- vientes. Præterea in cordis structuram & organa illius officio ministrantia, he- patis, lienis, pulmonum, ventriculi, me- senterii recessus intimos penetrat; cere- brum denique & destinatas singulis sen- sibus officinas, verbo minutissimas quas- que partes, harumque omnium usus ex- ploratos in lucem profert. Neque istis solum contenta, qua ratione cuncta hæc e primis elementis composita, qualeque ex his certa diversaque lege inter se commissit temperamentum cuiusvis na- turæ accommodatum nacta fuerint, osten- dit. Post hæc ad caußas, quæ fabricam hanc nobilissimam conservant, quæque eandem destruunt ac demoliuntur, inda- gandas inveniendasque progreditur. Tan- dem præsidia, quibus ea, quæ elemento- rum rempublicam in humano corpore, concordiamque turbant, & variis morbo- rum generibus viam pandunt, præsidia inquam, quibus ea vel coercentur, vel propellantur, larga manu subministrat. Quamobrem singularum radicum, herba- rum, lapidum, gemmarum, & quæ pate- factis terræ faucibus eruuntur, metallo- rum, ipsorum quoque animalium, & ali- mentorum naturam, dotes, vires, virtu- tes.

tesque ad remedia paranda solicite explorat, aeris & aquarum indolem indagat, ignis ope corpora dissolvit, & latentes in imis visceribus liquores subtilissimos extrahit, ipsa quoque sidera eorumque cursum cognoscere studet, & quam, si vel conjungantur vel sibi opponantur, agendi vim in hæc inferiora, præsertim in corpus humanum exerceant, sedulo contemplatur. Et quo demum tantus tam multiplicium rerum adparatus spectat, nisi ad benefaciendum hominibus, & quidem in pretiosissima illorum parte, scilicet vita & sanitate? Quapropter Faustinus Poëta merito sacram hanc artem adpellavit, dum cecinit:

*Artem aliam Deus & verum natura
repertrix*

*Institueva sacram, qua languida cor-
pora morbo*

*Eriperent quovis, propriæ redditura
saluti.*

Neque solum corporis, quæ vilior pars hominis est, verum etiam animi curam gerit Medicina. Hic enim, quamdiu in hoc corporis tugurio inclusus degit, non raro labem & quasdam veluti fordes a commercio isthoc lutoſo contrahit. Quippe

pe licet rebelles humores & maligni habitat terrenæ compagis animi imperium evertere nequeant, saepe tamen continet, ut rationis reipublicam turbent, ad iracundiam, tristitiam, libidinem, aliasque noxias perversasque affectiones animam impellant, atque ita mentis serenum obnubilent, miserisque curis & occultis tormentis eam exagitent, qui morbus eo gravior esse solet, quo tenacior velut ipsis osium medullis inhæret. Sed & huic malo medicam ars hæc manum affert, nocivos humores velut pabulum subtrahendo, ut restituta corpori temperie sua quoque animo malacia redeat, parsque hominis superior inferioris tempestate sedata, clara luce fruatur, & vinculis hisce soluta ad originis suæ sedem libero volatu contendat. Utrumque hoc, quod & corpori & animæ præstat ars Medica, beneficium dum probe agnoscerent Veteres, maximis Medicos præmiis, quin & divinis honoribus cumularunt. Ita Julium Cæsarem legimus, (e) Medicos Romæ degentes civitate donasse: ita si Æliano credimus, hanc artem exercere apud Indos & Ægyptios non licuit, nisi Deorum & Heroum filiis: ita Romæ in insula Tiberi-

(e) *Apud Suetonium.*

berina Æsculapio templum fuisse dedicatum prodit Plinius; & merito quidem, quippe nullum præmium cum vita, nullus honor cum salute in comparationem venire potest: & quum divinum munus sit vita, divinos quoque merentur honores illi, qui eam custodiunt, & dum prima deficit, velut secundam largiuntur.

§. II.

Historia Medicinæ.

III.

Medicinæ, quam ut præclare quidam dixit, necessitas invenit, solertia peperit, aluit ratio, promovit usus, longaque decum experientia perfecit, Medicinæ inquam originem scrutaturus nesse est, ut procul amandatis Veterum fabulis ad primum bonorum omnium fontem Deum se convertat, utpote qui herbas, stirpes, arbores frugiferas, itemque animantia & res alias universas condidit, quibus in hodiernam usque diem ad tuendam sanitatem, & propulsandos morbos utimur. *Vere a Deo est omnis medela, & Altissimus creavit de terra medicamenta, uti paullo ante ex Ecclesiastico intelleximus.* Et quidem quasi primum artis

artis hujus & scientiæ fundatum posuit, quando *lignum vitæ in medio paradisi* produxit. (f) Erat autem lignum hoc vera, non symbolica quædam arbor (ut Eugubinus & Origenes credebat) continens in se virtutem a natura ejusque Auctore inditam, qua fructus suœ vitam hominis bene valentem & robustam, atque a morbo & senio inimicem reddidisset. Quamvis enim D. Bonaventura & Gabriel vim hanc atque virtutem naturæ vires transcendisse existimat, melius tamen innatam fuisse S. Thomas, Hugo, Pererius apud Cornelium a Lapide docent, quemadmodum vis medendi aliis fructibus & arboribus inest cuique propria. Unde primam hanc in paradyso a Deo summo Archiatro homini præparatam fuisse medicinam, uti vocant Medici, *præservativam* dicere possumus, dum primigeniam illam elementorum atque humorum temperiem in humano corpore illibatam ad longissimum tempus conservasset, quamvis non reddidisset omnino immortalem. Ubi vero divinam violando legem homo innocentiae statu excidit, simul & paradyso, etiam medicamenti hujus beneficio, seu
ar-

(f) Genes. x.

arbore vitæ illiusque fructu quamprimum spoliatus fuit. Unde de alio medicinæ genere, scilicet *reparativo* providum non minus ac misericors Numen mortalibus providit, sed nonnisi per mortales, quibus artis hujus atque scientiæ arcana, primaque velut semina commisit. Inter hos utique fuit ipse primus parens Adamus, qui ea familiæ suæ in dies crescenti postmodum concredidit, tanquam miseræ hujus vitæ, totque morbis & infirmitatibus obnoxiae depositum. Sed & hoc hominibus in vitia & perniciem suam toto pondere proruenteribus, & per diluvii aquas vix non penitus extirpatis periit, nisi quod reliquiæ aliquæ in Noemi posteris permanserint, atque in populum electum fuerint propagatae. Quin & Salomoni herbarum, plantarumque ac fructuum natura, vires qualitatesque intime fuerunt perspectæ, quem super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad byssopum, quæ egreditur de pariete, id est, a maximis arboribus (nulla enim major cedro exstat in Judæa & finitimis locis) usque ad minimos frutices disputasse produnt SS. Literæ. (g) Immo Eusebius (h) docet, multos Salomo-

(g) *Lib. 3. Reg. Cap. 18.*(h) *Apud Sancium in lib. 4. Reg. C. 18.*

nis libros ab Ezechia Rege fuisse sublatos (alii tradunt esse combustos) eam obcausam, quod plurimi iis, quæ illic consignata fuerunt, medicamentis ac pharmacis ad superstitiones, & immortalitatem quamdam corporibus suis conciliandam abuterentur.

IV.

Interea vero homines vivacibus illis, quas recens condita tellus primis habitatoribus subministrabat, alimentis tanquam vitæ in ævum trahendæ præfidiis destituti, accedente sèpius aeris intemperie, & quod magis noxium est, ventris ingluvie, contra insurgentes morbos de medelis certaque medendi methodo circumspicere cœperunt. Primus fuisse fertur in Græcia Apollo nomine, postea in Deorum falsorum numerum a superstitione gente relatus, qui diligentius herbarum vim & dotes scrutatus ex iis pharmaca parare cœpit, unde Medicinæ inventor passim celebrabatur, quem ita de se canentem Ovidius producit: (i)

Inventum medicina meum est, opifexque per orbem

Dicor,

(i) *Lib. I. Metamorph.*

*Dicor, & berbarum subiecta potentia
nobis.*

Sed ut initia rerum semper rudia esse solent, paullo subtilius artem hanc excolere cœpit Æsculapius Apollinis filius, qui quum multa subinde invenerit, patrisque institutionibus addiderit, factum est, ut & ipse inter primos medicinæ inventores numeratus fuerit. Hic quum Hippolytum quemdam, & Androgeum Minois Regis filium, in ludis circensibus Atheniensium iavidia lethali vulnere sauciatum, ambos jam deploratos, arte sua sanasset, a vulgo Poetarum fabulis decepto mortuos ad vitam revocasse credebatur, quin etiam ob eam caussam Plutone apud Jovem conquerente, quod imperium suum mortalis Medicus exinaniret, ab eodem fulmine percussus interfisse. Sed alium hujus nominis fuisse Æsculapium hoc fato interemptum docet Tullius. Certe is, de quo loquor, Romam accitus urbem ipsam gravi pestilentia oppressam liberavit. Unde ut dixi, Templum insigne in Tiberis insula eidem exstructum est, divinique honores sub figura serpentis, ut narrat Suetonius (k) habiti fuerunt, ejusque nomen Q. Serenus

(k) *In Claudio C. 26.*

renus Sammonicus ita invocat carmine suo :

*Tuque potens artis, reduces qui trā-
dere vitas,*

*Nosti, atque in cœlum manes revocare
sepultos.*

Porro Æsculapius hic geminos post se filios reliquit, paternarum opum & artis hæredes, Podalirium & Machaonem, qui ad bellum Trojanum ducem Agamemnonem secuti non mediocrem Commilitonibus suis opem tulerunt, digni quos Homerus (1) his versibus e græco in latinum idioma translatis celebraret :

*Quos duo ducebant Fratres, phæbique
nepotes*

*Patre Coronide, præstantes arte me-
dendi,*

*Belligerique ambo, Podalirius atque
Machaon.*

Ab ipsis in filios quoque suos & posteros longa serie scientia hæc veluti transfusa est, ita ut divinis auspiciis cœpta successione quadam hæreditaria a parentibus in liberos propagata fuerit, qui proin communi

(1) *Iliad.* 2.

muni omnibus nomine Æsculapiadæ , seu Asclepiades vocabantur a primo stemmati conditore Æsculapio. Quippe cautum erat in illa Asclepiadum familia , ne quis artem & industriam medendi, possessionem sane divinam a Deo ut ajebant, solis ipsis concessam cuiquam communem ficeret, qui ab eodem non esset genero exortus. Id quod fuisse in causa videtur, ut peritos artis illius τῶν ἱατρῶν παιδας, hoc est, filios Medicorum Græci semper nuncuparint. Atque ex hac ipsa stirpe descendit magnus ille Medicorum pārens Hippocrates, genitus in insula Coo, Olymp. 80. circa annum Mundi 3504. patre Heraclide e profapia Æsculapii oriundo , & matre Praxithea ex Herculis progenie, præsagientibus ipsis cunis, quantus Medicus, quamque Vir fortis esset futurus Hippocrates , utpote qui Æsculapium & Herculem proavos nactus esset. Vir hic ingenio, morum honestate ac peritia aliarum etiam scientiarum clarissimus dispersa hucusque medicinæ dogmata primus in artem collegit , & methodo quadam *rationali* scientiæ hujus principia ad rem universam spectantia complexus est. Certe ipsius libri tanquam divino emanarint ore, ubique gentium celebrantur. Primus quem scripsit, continet Jus
juran-

jurandum, alter Prognostica, tertius Aphorismos, quartus methodum admirabilem, qua sexaginta libris omnem scientiam medicam, omnesque hujus thesauros publicam in lucem producit. Nec solum in theoria, sed etiam in praxi enituit. Nam venientem ab Illyricis oris pestilentiam prædixit, atque discipulos suos tanquam copias auxiliatrices adversus eam in finitimas provincias distribuit, ut grassanti malo obviam irent. Qua re meruit, ut eosdem, quos Herculi monstrorum dominatori detulit, honores fere divinos scilicet sacra Eleusinia decreverit tota Græcia. Vitam produxit ad usque centesimum quartum ætatis annum & aliorum & sui ipsius Medicus, cuius memoria etiamnum in patria sua, insula Coo existit, ubi casa quædam, quam inhabitasse fertur, rerum curiosis monstratur teste P. de Valle. (m) Breve illi sed dignum tanto Viro elogium Macrobius scripsit, dum ait: *Hippocrates qui tam fallere, quam falli nescit, & Nicomedes dum cecinit:*

*Lux hominum Hippocrates dum genitibus ille medetur,
Copia per stygias rara petivit aquas.*

Cate-

(m) *Itiner. Tom. I.*

Cætera filios suscepit Thessalum & Dracōnem, habuitque generum Polybium, discipulum præ reliquis eminentem Derippum, omnes Medicinæ laude florentissimos. Hæc prima dici potest Medicæ disciplinæ Epochæ, nimirum ab Apolline & Æsculapio ad Hippocratem usque.



§. III.

Propagatio Medicinæ.

V.

Alteram periodum constituunt diversæ, in quas abiit, sectæ, & per quas latius quoque propagari cœpit hæc scientia. Præcipuæ harum fuerunt *Empirica*, *Methodica*, & *Rationalis*. Veteres accurata corporis humani & rerum physicarum, quæ illud immutandi, seu ut phrasim medica loquar, *alternandi* facultate polent, notitia destituti omnem artem suam in experientia eorum, quæ in morbis profuisse, aut nocuisse deprehenderunt, unice collocabant. Hinc non tam ratione quam sensuum judicio freti adversus morborum agmina in aciem progressi sunt, ita ut quæ forte fortuna alicui salutifera fuisse cernerent, per epilogisimum etiam reliquis, qui simili morbo laborare videbantur,





1
2
3
4
5
6
7
8
9

tur, accommodare solerent. Unde factum est, ut Assyrii ægrotos suos in plateis & viis publicis palam exponerent, a præter-euntibus exquirentes, an scirent aliquod morbi remedium; eratque teste Strabone (n) apud eos lege cautum, ut qui aliquando ægrotassent, alios afflita valetudine prostratos circumirent, docerentque singulos, qua ipsi ope potissimum adjutii depulso hoc vel isto morbi genere incolumes evaserint. Atque ita frequentis experientiæ auxilio multa remedia vel in eorum, qui convaluerunt, aut in propinquorum & recessariorum memoria, vel etiam in templorum tholis ejus Dei, qui imploratus salutem attulisse credebatur, tabulis incisa atque suspensa paullatim fuerunt collecta, & ab Hippocrate, ut tradit Aristoteles, ad posteros transmissa. Hoc igitur Medicorum genus, qui artem medendi in sola collocabant experientia, de origine ac fontibus morborum parum soliciti (quamvis evidentes eorum caussas, uti frigus, calorem, famem, sitim, intemperantiam, animique affectiones, non repudiarent) Empirici dicebantur, non ab Inventoribus, sed ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας, id est, ab experientia. Atque hujus se-
ctæ

(n) Lib. 16.

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. X.

B

Et auctoꝝ & princeps exstitit Philinus
Cous, habuitque sequaces Creontem seu
Acrontem, Serapionem, Glauciam, duos
Apollonios, Menodotum, &c. Aliam
prorsus viam inierunt *Methodici*, quorum
principes fuerunt Themison Laodicenus
& Thessalus Trallianus, qui rejectis ex-
perimentis, quæ Empirici potissimum spe-
ctabant, peculiares omnes corporis adfe-
ctiones redegerunt ad generalia tria prin-
cipia: *strictum* scilicet, *laxum* & ex ut-
roque *mixtum*, atque ex his tribus fonti-
bus omne morborum genus promanare
contendebant. Hinc quoque triplicem
duntaxat curationem adhibuerunt, ut
nempe quæ laxiora essent in corpore hu-
mano, fortius per medicamenta adstrin-
gerent; quæ plus æquo adstricta, laxa-
rent; & si ambo deficerent, utroque mo-
do obviarent. Itaque ob hanc compon-
diariam medendi viam, brevemque me-
thodum dicti fuerunt *Methodici*. Inter
hos referri meretur Cellus, qui imperan-
te Cæsare Tiberio vixit, methodicæ Ascle-
piadis seſtae cultor, quem aliqui Cicero-
nem Medicorum appellant, non tam cre-
do ob artis præstantiam, quam ob elo-
quentiam, qua illam prædicabat in libris
suis, quemadmodum sensisse videtur Jo-
annes Heurnius, Medicus doctissimus,
dum

dum scripsit: *Pluris latinitatem ejus (Celsi) quam medicinam fieri.* Verum utraque hæc secta longe a scopo aberrabat. Nam qui solis experimentis confidunt iudicij & observationis inopes, ubique experimenta sua valere idem, ac eundem effectum præstare arbitrantur, quum tam non conveniat idem seni ac pueri, viro ac fœminæ, bili & pituitæ obnoxio, degenti in Italia & Germania, æstati & hyemi: mutantur enim corporis affectiones ætate, sexu, temperamento, loco, tempore, quibus omnibus accommodari pharmaca oportet. Unde ubi dogmata & cognitio scholæ philosophicæ, exultumque ab ea judicium experimenta non regunt, casus & temeritas est medicina, non ars. Qui vero experimenta rejiciunt, omnemque medendi virtutem ad generales quasdam regulas, quibus remedia quasi in censum veniant, constringunt, naturæ variationi perpetuo obnoxiae vim facere videntur, quum sanitas non pendeat ex legibus, sed in effetu posita sit. Hæc probe perspiciens Hippocrates certam sectam condere cœpit, eamque *Rationalem* vocari voluit a ratione, cui innititur, quæque suum tribuit utrique, nimirum & experimentis & methodo, atque ex ambobus certam

medicæ artis veluti temperiem constituit. Hæc uti experimenta neutiquam respuit, sed potius in consortium invitat, quamvis ad certi quid statuendum sola non sufficiant, ita rationis ductu in caussarum non modo evidentium, sed etiam abditissimarum notitiam penetrare satagit tum ex corporum anatomia, tum ex rerum naturalium indagatione, ut quam fieri potest efficacissima saluberrimaque remedia præscribere, & ægris corporibus applicare queat. Et vero Hippocratem secuti sunt, *rationalemque medicinam excoluerunt præstantissimi quique*, Diocles Carystius, Praxagoras, Chrysippus Sophista, Erasistratus ex Aristotelis filia genitus, aliique complures non sine maximo morbis laborantium emolumento. Hinc Soranus Ephesius (o) breviter ac dilucide de Medica disciplina pronunciavit: *Apollo quidem invenit, Æsculapius amplificavit, Hippocrates perfecit.*

VI.

His ita constitutis floruit uno altero-
ve seculo hæc medendi ratio: sed vel
temporum iniquitate vel ipsorum Medicorum
æmulatione, quoniam admodum
quæstuosa hæc ars est, contigit, ut dum
suo

(o) In præfat. suæ Isagoga.

suo quisque genio illam tractaret, stabilita tot curis Hippocratica doctrina & methodus vix non penitus jaceret, Medicorum turba, velut locustarum agmine urbes & oppida exedente. Quæ caussa fortassis erat, quod a Romanis Medici omnes publico Catonis editio ejecti fuerint Urbe & finibus Imperii. Nonnulli scribunt id factum fuisse propterea, quod sub Medicorum legibus vivendo civitas magna populi parte destituta videretur, timerentque Romani, ne omnino pessum iret per hanc artem in hominum cædem excogitatam. Sed veriores caussas in medium adducunt alii: primum quidem, non tam scientiam hanc damnaisse Romanos, quam eos, qui profiterentur, qui que in quamplurimas sectas divisi inconstantiae nomen arti peperere, servantes, addentes, mutantes, ut quisque sibi gloriam inventionis deberi crederet. Mutatur, inquit Plinius (*p.*) *ars quotidie toties interpolis, & ingeniiorum Græciæ flatu impellimur.* Dein quia Medici venena venalia exposuerunt, quæ sibi comparantes nefarii quidam homines, qui testamentis inhiabant, aut adulteria patrarent, non paucos e medio sustulerunt.

Deni-

(*p.*) *Lib. 29. C. 1.*

Denique quod arcana, quæ ipsis quasi domesticis concredebantur, prodiderint, suaque avaritia multorum loculos emunxerint, & inanibus restituendæ sanitatis promissis impleverint. Certius illud est, quod Plinius testatur, Romanos per annos sexcentos sine Medicis vixisse. Sed ut ad Hippocratem revertamur, communis fere veterum scriptorum persuasio fuit, *rationalē* medicinam & Hippocratis doctrinam vix non sepultam post sexcentos fere annos, velut ab inferis reductam fuisse a Claudio Galeno, Medico excellentissimo, e Pergamo Asiae urbe oriundo, qui clarescere cœpit temporibus Trajani. Natus patre Architecto civitatis eruditissimo, quum ingenio plurimum valeret, in Dialecticis & Philosophiæ elementis probe institutus mox ad Medicinæ studium animum adjecit, præstantissimis ea ætate præceptoribus usus, Satyrone ac Pelepe Medicis. Tum Alexandriam profectus, ubi maxima erat hominum doctorum frequentia, Romamque veniens reformandæ Medicinæ totum se impendit; quumque aliarum quoque scientiarum præsidiis ad hoc efficiendum, quantum quidem in unum hominem cadere potest, omnibus instructus esset, opus tam eximum & conari voluit, &

per-

perficere potuit. Primum omnium, ut artem medicam in tot sectas divulsam laceramque suæ integritati ac nitori restitueret, duarum Empiricæ scilicet ac Methodicæ placita tanquam manifeste falsa & a veritate abhorrentia luculentissimis argumentis refellere ac explodere cœpit in libro de optima secta ad Thrasibulum: postmodum ultra progressus Hippocraticam seu *Rationalem* instaurandam sumpfit, plerisque pulchre inventis ab Hippocrate, sed remissius atque debilius traditis rationes validiores adjiciens, & multas rerum causas ab illo præteritas vel nondum forsan cognitas assignans. Hinc effatum illud manavit: *in Galeno non minus Hippocratem vivere, quam in Hippocrate Galenum.* Quin & Aristotelis physica principia, nempe quatuor elementa & ex his productas temperies, quatuor qualitates, ac humores in Medicinæ disciplinam transtulit: denique non modo demonstrationes quæstionum singularum perfecit, sed ordinem quoque methodi præclare adjunxit. Gesnerus in ejus vita pronunciare non dubitavit: „Nisi Galenus fuisset, jaceret adhuc formæ te Medicina neglecta, & hujus beneficium est omnis, qui modo capit fructus. „ Hoc perfunctus labore in Asiam rediit

rediit Galenus, paullo post literis Impp. Lucii Veri & Antonini in Italiam revo-
catus ; sed hoc posteriore in bello cum
Marcomannis extinto patriam repetiuit,
ibique consenuit, atque annos 70. natus
obiit, post Christum 140. Auctor du-
centorum voluminum, ut ex ejusdem
operibus (q) patet, quæ tamen maxi-
mam partem in templi Pacis incendio
flammis absunta sunt : cæteroquin &
Judæorum & Christianorum hostis acer-
rimus. Verum licet communis fere Ve-
terum scriptorum hæc, ut dixi, persua-
sio fuerit, nihilominus ævi nostri cele-
bris Medicus Cl. Boerhavius methodum
Hippocratis & Galeni toto cœlo distare,
nec illam Hippocratis a quoquam magis
depressam ac veluti humatam fuisse mul-
tis demonstrare conatur, totus in eo, ut
Hippocratem vindicet, eumque avitis in
Medicorum republica juribus restituat.
Post annos bene multos in Hispaniis me-
dicinæ fama clarescere cœpit Conrado II
& Henrico III Impp. Avicenna, natus in
pago Balech A. C. 992. Vir eminentis-
simi ingenii, quem nonnulli ex Arabia
oriundum putant, aliqui etiam Cordubæ
Principem vocant. Postquam scriptis
plutibus in lucem editis Medicinam in
metho-

(q) *Cap. 2. ejus Comment.*

methodum certam redegit, obiit anno 1050. In eadem urbe Corduba floruit circa annum 1149. Averroes Arabs Mahumetanæ addictus sectæ. Hic omnium bonarum artium encyclopædiā adeptus librum *Colliget* dictum posteritati reliquit, quo totam fere Medicinam complexus est, *Stimulus Medicorum* appellatus: nam & Galeno in plurimis contradixit, & Avicennæ ejusque doctrinæ perquam infestus erat.

VII.

At novum vetus Medicina incrementum sumvit a notissima schola Salernitana. Medicæ scholæ tres olim celebratae fuerunt, Cnidia, Rhodia, & Coa. Verum Salernitana & has & reliquas non minis sui fama facile superavit. Est autem Salernum Picentinorum civitas in sinu maris Tyrrhemi posita ad ostium fluminis Silari, quæ clarescere cœpit anno Chr. 974. quando a Bonifacio VII. Pontifice regionis totius metropolis constituta fuit. In illa medicæ artis prima rudimenta posuerunt Monachi Cassinenses a monte ac Monasterio Cassinensi urbi vicino sic dicti. Ex his Constantinus quidam Cœnobita Abbatii Desiderio opera sua medica dedicavit circa annum Chr.

1060. Tum Rogerius primus Siciliæ Rex & Salerni Princeps, quum circa annum 1100. nonnullas leges sanxisset, decimam octavam tulit *de probabili experientia Medicorum*, qua cautum erat, ne quis Medicinam exerceceret, nisi prius a Magistris & Judicibus esset approbatus; qui fecisset secus, bonis omnibus spoliaretur, quam legem annis sequentibus, scilicet 1150. Fridericus Ænobarbus Romanorum Imperator occupato Regno Neapolitano amplificavit atque confirmavit, prohibuitque, ne quis ad Medicinam exercendam admitteretur, nisi a Medicis Salernitanis aut Neapolitanis, potestatem mendendi, quam *Licentiam* vocant, consecutus fuisset, statuta carceris anni pœna ac proscriptionis omnium fortunarum, uti tradit Zacharias Sylvius. (r) His igitur prærogativis atque honoribus gaudens schola Salernitana in Academiam tum demum erecta est ob studia præser-tim Medicinæ, quæ in ea vigebant plurimum. Quod autem maxime illam commendavit, ejusque famam transmisit ad posteros, est opus illud *de conservanda valetudine* dicatum Roberto Duci Nortmanniæ & Regni Anglicani Hæredi, licet ad illud Fratris natu minimi perfidia nunquam

(r) In Præfat. ad Schol. Salernit.

quam pervenerit. Hinc liber inscriptus fuit Angliæ Regi, scilicet legitimo ejus hæredi. Auctor libri erat Joannes de Mediolano, Salernitanus Medicus, quamvis totius Collegii Salernitani nomine in lucem editus fuerit anno 1100. Titulus vero *Medicina Salernitana seu de conservanda valetudine.* Cur autem carminibus rhythmicis consignatus fuerit, caussa esse videtur, quod Robertus, cui dicatus erat, Nortmannus esset, apud quam gentem genus hoc carminis tritum, familiare atque jucundum erat, ita ut in republica literaria illius temporis nihil, quod non hoc carmine conscriptum fuisset, æterna memoria dignum crederent. Ita novimus primo Nortmannorum Duci Rolloi hoc epitaphium fuisse positum :

Dux Nortmannorum, cunctorum norma bonorum,

Rollo ferus, fortis, quem gens Nortmannia mortis

Invocat articulo, hoc jacet in tumulo.

Ipsi provideat tua sic Clementia Christe,

Ut

*Ut semper videat cum cætibus Angeli-
cis Te,
Filius atque Dei propitietur ei.*

Ad hunc igitur modum opus suum atque præcepta orditur schola Salernita-na :

*Anglorum Regi scribit schola tota Sa-
lerni :*

*Si vis incolorem, si vis te reddere
fanum,*

*Curas tolle graves, irasci crede pro-
fanum,*

*Parce mero, canato parum, non sit ti-
bi vanum*

*Surgere post epulas, somnum fuge Me-
ridianum.*

VIII.

Post scholam Salernitanam, cuius pla-
cita magni fiebant ubivis gentium, ad-
modum prospere ac tranquille res age-
bantur in regno Medico per plura secu-
la, usque dum decimo sexto & septimo
insurrexere Duumviri, qui valentes tam
ingenio quam audacia turbare illud cœ-
perunt, ac evertere conati sunt veterum
scho-

scholarum & conomim, velut præludentes novæ sectæ paullo post seculuræ, quæ Eclectica dicitur, & hodie dominatur. Primus erat in Germania Philippus Aurelius Theophrastus Paracelsus, natus in pago Hochenheim vel Einsidelen ditionis Tigurinæ. Hic peragrata Gallia, Hispania, Germania non modico eruditionis medicæ thesauro instructus, ubi in Helvetiam rediit, Basileæ scientiam hanc publice profiteri cœpit, magnisque ausibus Hippocratem & Galennum e scholis & cathedris deturbare conatus est, statuendo tria principia chymica, *Sal*, *Sulphur*, & *Mercurium*: astrorum quoque imperium ac vires supersticiose quodam cultu in Medicinam inventit, & ut chymicæ arti perdite deditus erat, pharmaca etiam ope ignis e *mine*, *ratibus* ut vocant, extracta prospero non nunquam successu, sed non minus periculoso adhibuit, spreta communi medendi methodo. Qua re magnam apud multos rerum novarum curiosos famam sibi comparavit. Extremum diem obiit Salisburgi anno 1541. natus annos non nisi 48. quum ipse chymicæ arti suæ confisus aliis secula promisisset. Ejus opera *Medico Chymica* sive *Paradoxa* in undecim volumina distributa prodierunt,

qui-

quibus non paucos errores contra sanam Philosophiam, Theologiam, ac pietatem quoque Christianam immiscuit, de nulla Scientia admodum bene meritus. Alter vero Duumvirorum erat, qui seculo decimo septimo in medium prodiit, Joannes Baptista Helmontius, Bruxellis in Brabantia oriundus. Posito Lovanii literarum tyrocinio totum se Medico studio impendit, Aristoteli ac Galeno semper intestus, Paracelso autem ex asse deditus. In homine ac animalibus intimum motus ac sensus vitalis principium constituit, quod *Archeum* vocabat, quemque tum vitae tum morborum ac medicacionum, omniumque actionum in homine caussam ac fontem esse volebat, ita ut nullas alias nec remediis nec quibuscumque operationibus vires concederet, nisi tales, quarum occasione Archeus ille excitaretur, & vel inde expavesceret, aut sedaretur, vel aliis afficeretur modis. Ubi vero ejus medendi methodus atque libri ad altius tribunal delati fuerunt, in Hollandiam sese recepit, illorum more, qui liberiorem doctrinæ suæ suspectæ auram captare ibidem solent. Fatis concessit anno 1644. reliquitque varia ingenii monumenta : *Disputationem de magnetica corporum curatione : paradoxa de aquis Span-*

Spandanis: febrium doctrinam inauditam: ortum Medicinæ, &c. Non defuerunt tamen hoc quoque ævo inter tam heteroclitæ ingenia, qui Hippocratem ejusque placita secuti sunt, præstantissimi Medici: Montanus, Crato, Ballonius, Hollerius, Foesius, Duretus, Heurnius, Mercurialis, Jacotius, Joubertus, e quorum libris relictis multa saluberrima monita posteri ad Medicinam instaurandam hauserunt. Atque hæc, quæ a Galeno ad ista usque tempora fuerunt æta, ad tertiam Medicinæ Periodum referri poterunt.

§. IV.

Incrementum artis Medicæ.

IX.

Quartæ nunc periodo initium facit pro-
vectior seculi prioris ætas, qua ubi
præstantissimi quique viri Chymicæ, Me-
chanicæ, Anatomiæ, ac Botanicæ studium
summa cum contentione, atque innume-
ris experimentis promovere cœperunt,
ingens incrementum sumvit Medicina his-
ce præsidiis munita, quo etiamnum ho-
die lætatur, seque Eclecticam profitetur.
Primus facile fuit Daniel Sennertus e
Germania oriundus, qui e Græcis, Ara-
bibus,

bibus, Italis & Gallis meliora dogmata & optima quæque artis præcepta selegit, fractoque variarum opinionum cortice nucleus extraxit, atque omnem Medicinæ doctrinam in unum quoddam universum systema redegit, non sine magno Medici orbis adplausu, ita ut Eclecticæ Medicinæ Conditor merito haberi possit. Plurimum vero ad perficiendam hanc artem contulerunt illi, qui ad diversas partes humani corporis singulares quam studiosissime examinandas, novisque inventis illustrandas animum adjecere: ita Herwæo passim tribuunt inventum illud, quod *circulationem sanguinis* vocant, divinum sane, & ad veritates medicas afferendas stabiliendasque aptissimum. Occultas Chyli ex intestinis ad sanguinis officinam per vasa lactea & ductum thoracis vias præcipue Pequetius, Bartholinus, & Hornius detexerunt. Glandularum fabrica & usus præeunte Warthono per Malignum & Morgangum plenius innotueret. His ipsis debetur accurata duodeni notitia, quod ventriculus secundus seu succenturiatus dici potest, in quo bini humores biliosus & pancreaticus confluunt; quæ res ad *digestionis*, *chylicationis*, & *sanguificationis* (Medicorum phrasibus uti juvat) negotium, & morborum, qui in pri-

prima regione corporis existunt, generationem facilius explicandam mirum quantum prodest. Vasa, quæ lympham avehunt, a Bartholino & Rudbechio fuerunt reperta, & a Nuckio atque Ruyschio amplius explorata. Solertissimus Malpighius viscerum, pulmonum, cerebri ac hepatis: Bellinus vero renum structuram curatius introspexerunt: idem hepar Glissonius, cerebrum quoque Willisi, Ridlejus, Leuwenhœckius & Bianchius: pancreas Grafius & Brunnerus: lienis miram ex innumeris vasculis ac cellulis compagm Casserius & Ruyschius, alii arteriarum venarumque, ejus præsertim, quæ vena Portæ dicitur, & vasorum hæmorrhoidalium ordinem ac situm investigarunt. A Vieussenio medullæ spinalis ortus, ejusque ramorum admiranda distributio; a Borello & Nicolao Stenone musculorum per totum corpus sese porigenium, illorum autem, qui cordi serviunt, fabrica a Lowero, Lancisio, atque Santorino detecta fuit. Neque sterilis erat hic labor, solumque intra nudæ contemplationis limites sese continuit. Ex inventis istis palam factæ sunt plurimorum morborum phthiseos, hydropis, nephritidis, febrium, gangrænæ, hæmorrhoidum, hypochondriacæ spasmodicæque affectionis,

aliorumque in hisce visceribus nidulantium
geneses, quæ quo occultiores, magisque
a Veterum conspectu remotiores fuerunt,
eo magis impune per corpus grassabantur,
ac hominum insidiabantur vitæ. Tum
vero maximi quique Viri omnem suam
theoriam & praxin contulerunt ad inven-
nienda præparandaque contra hos mor-
bos remedia, quæ Chymicæ ac Pharma-
cevticæ studium præclarum, maxime a
Glaubero & Becchero excultum, quam
efficacissima saluberrimaque subministra-
vit, ita ut singulis morbis sua curatio
responderet. Maximum vero incremen-
tum ultimis hisce temporibus cepit ars
medica e mechanica tractandi methodo,
ex Anatomicæ scientiæ visceribus hausta,
quamque præcipui quique hujus ævi Me-
dici in Italia Bellinus, Borellus, Malpig-
hius, Michelotti, Santorini, Ramazzinus,
Baglivus, Lancisius, Bianchi: in Belgio
& Britannia Pitcarnius, Freundius, Kei-
lius, Albinus, Boerhave; in Germania
Bonius, Brunnerus, Camerarius, Scheu-
zerus, Bergerus, Valerus, Zwingerus,
Nebellius, Paulli, Schaperus, Van- Sui-
ten celebris Archiater in aula Viennensi,
aliisque quanto studio & fervore, tanto
emolumento ac gloria sunt amplexati.

Sin-

Singularem inter hos memoriam mere-
Fridericus Hoffmannus Regi Borussiæ a
Consiliis intimis, Archiatrorum & Pro-
fessorum in Academia Regia Halensi Se-
nior, qui natus anno 1660. plusquam
octogenarius e vivis discessit anno 1742.
relicta ingenti fama Medici numeris omni-
bus absoluti. Hic postquam multas Europæ
provincias peragravit, grandi Scientiæ Me-
dicæ adparatu instructus tex Tomos in
lucem edidit, quibus artem hanc, ut
ipse adpellat, *Mechanico-Physicam* maxi-
ma cum eruditione illustravit, & uni-
versam complexus est, saepè a summis
Principibus consultus, & ad medelam
ægrotis ferendam expetitus.



CA-

C 2



C A P U T II.
O E C O N O M I A M E D I -
C I N Æ.

§. I.

Ejusdem finitio & indoles.

X.

Nota est parcemia , e Philosopho de-
promta :

*Ubi definit Physicus , ibi incipit Me-
dicus.*

Nimirum postquam Physicus per univer-
sa Mundi hujus corpora ratione duce ,
experientia comite vagatus est , denique
ad corpus humanum considerandum se
accingit , contemplando in primis nobilio-
rem ejus partem seu animam , ejusdem-
que sentiendi ac ratiocinandi facultates ,
tum vero ad partes quoque , quæ ipsum
corpus seu constituunt , seu integrum
reddunt , deflectendo ; quantum scilicet
ad explicandum admirabile illud corpo-
ris

ris cum anima & animæ cum corpore commercium, atque etiam ad sensuum organa, in quibus anima operationes suas exerceat, cognoscenda inspiciendaque deserviunt. At Medicus intactam relinquens animam, exteriorem corticem sibi lustrandum sumit, nempe corpus humanum, scrutando naviter totam illius oeconomiam, partesque singulas, ut latentia sanitatis ac morborum principia detegat: verbo, Physicus ea considerat, quæ ad constituendum corpus humanum, Medicus vero illa, quæ ad illud conservandum sanandumque requiruntur. Atque ex hoc facile patet, quid rei sit, & qua ratione finiatur Medicina, quæ Græcis *Iatrica*, scilicet a medendo tanquam fine sibi præfixo dicitur. Evidem Hippocrates duabus eam vocibus explicat, appellando *adjectionem* & *subtractionem*, eo quod una parte adjiciat quædam, quæ deficiunt in corpore humano, ex altera subtrahat alia, quæ redundant. At clarior communiorque est finitio illa, quam tradit Leon. Faschius, (s) quod sit ars ad humani corporis sanitatem tuendam, profligandosque morbos comparata. Artem esse Medicinam nemo facile inficia-

bi-

(s) *Lib. 3. C. 3. sect. 1. Inst. Med.*

bitur, qui Hippocratem hac de re loquentem audit: (t) *Sunt inquit nibilominus ea, quæ damna fuerunt, quam ea quæ opem tulerunt, in testimonium arti, quod ars ipsa sit.* Quæ autem profuerunt, ob rectum usum profuerunt; quæ vero nocuerunt, ob id quod non recte usurpata sunt, nocuerut. Atqui ubi rectum & non rectum utrumque suum finem habet, quomodo quis hoc artem esse neget? Quod autem etiam scientia sit, ex eo constat, quod neutiquam sufficiat, ut Medicus ea omnia, quæ vel profunt, vel obsunt, longa serie recensere possit, sed oportet etiam rationes dare ac demonstrare, quantum & cur hæc in his vel illis rerum circumstantiis emolumentum afferant, aut detrimentum. Porro ars hæc & scientia inviolabili fœdere theoriam & praxin consociat, dum non solum scientiam eorum, quæ salubria sunt vel insalubria, verum etiam & vel maxime horum usum applicationemque desiderat. Ad theoriam enim pertinet, nosse omnia illa, quæ ad corpus humanum sive sanum servandum, sive morbis obnoxium sanitati restituendum faciunt; ad praxin vero providere, ut recto ordine ac tempore, debitaque mensura, quam *dosis* vocant,

pro

(t) *In Lib. de arte §. 6.*

pro cuiusvis corporis & morbi, ejusque caussarum conditione remedia subministrantur. Quare præcipuum Medici officium est, ut quæ profunt, ab illis, quæ nocent, tum ad servandam corpori humano integritatem, tum ad eam, si læsa sit, reparandam bene discernat, iisque reæte utatur. Nam quemadmodum corporis vires nunquam *absolutæ* sunt, ut cum scholis loquar, sed *relativæ* semper, & intra certos quosdam limites continentur, ita etiam nulla reperire est seu alimenta seu medicamenta ex omni classe, quæ *absoluta* dici queant, seu quæ natura sua semper sint salutaria, aut semper noxia: unde perniciosissimum esse perspicimus, ac sine fundamento illud Empiriæ medicæ principium; inesse *certam* medicamentis quibusdam vim & efficaciam ad morbum aliquem vincendum; qua in re non solum peccant gravissime Circumforanei seu Agyrtæ, qui male credulo vulgo persuadent, panaceas suas adversus omne morborum genus esse velut omnipotentes, verum etiam, ut queritur expertissimus Hoffmannus, de quo dixi, docti quoque cæteroquin Medici non infrequenter delinquunt, qui semel vel iterum prospero effectu animati perpetua contra morbum quemdam, certissima-

simaque virtute medicinam suam pollere sibi persuadent, immemores non eandem esse omnium corporum indolem, eamque plurimum a sexus & ætatis conditione, ac locorum & temporum varietate pendere. Quapropter duabus aliis, scientia ac experientia, ut ad artis hujus perfectionem eluctetur, opus est, uti Philosopho, ita & Medico, atque huic eo magis, quo pretiosior est thesaurus ejusdem curæ atque scientiæ concretus, nimirum corporis sanitas.

§. II.

Medicinae partitio.

XI.

Non omnibus eadem ratio est, quam in artis hujus partitione tenent. Quidam enim in duas, aliqui in tres, in quatuor alii, plures demum in quinque partes illam distribuunt. Primi duas statuunt, quarum una sanitatem per medicamenta ut vocant *præservativa* tueatur, altera morbos per *reparativa* profliget. Sed hæc partitio nimis late patet. Hinc alii dividunt in Hygiasticam seu Hygiænam, quæ valetudinem in morbos pronam erigit, & Therapeuticam, quæ lapsam restituit, ita ut his duabus tres aliæ famulen-

lentur scientiæ: primum quidem Physiologia, quæ notitiam elementorum & corporis, maxime humani complectitur, idque per Botanicam, Chymicam & Anatomæ seu dissectionem animalium: dein Pathologia, quæ morborum nomenclaturas prodit, & eorum ideam, naturam, differentiam, aliaque pathemata declarat: denique Semiotica, quæ tum morborum signa & prodromos patescit, tum illorum tristes eventus & prognostica docet. Therapeuticen iterum distribuunt in Diæticam, quæ vocata in auxilium diæta seu victus temperatione sanat, & Chirurgiam, quæ perita manu morbos in exterioribus corporis partibus sedem fagentes depellit, atque Pharmaceuticam, quæ pharmacis seu medicamentis curationem perficit. Verum qui tres esse volunt Medicinæ partes, Hippocratis & Galeni auctoritate se tuentur, utpote qui ratione usuque valentes potissimam posteris viam in hac scientia complanarunt. Assignant itaque primam quæ viðu, alteram quæ medicamentis, tertiam quæ manu corpora curat. Ideo illa Diætica, sequens Pharmaceutica, tertia Chirurgia Græcis vocata est. Differentias autem medicinæ sumunt vel a materia seu corpore humano, quæ Physiologia, vel a

forma, hoc est salubritate aut hujus vi-
tio, quæ vocatur Pathologia, vel a cau-
sa efficiente nempe instrumentis ad sani-
tatem vel morbum conducentibus, quæ
Ætiologia, vel demum a fine præfixo, qui
partim in cognitione per signa, & ideo
Semeiopathica, partim in operatione positus
est, & hinc Therapeutica adpellatur.
Quatuor partes qui recensent cum Hoff-
manno, primo loco collocant Physiolo-
giam, quæ scientia est corporis nostri,
quatenus vivum & sanum est. Secundo
Hygieien, quæ præcepta ad vitæ ac sa-
nitatis tutelam necessaria tradit. Tertio
Pathologiam, quæ scientia est corporis
nostri, quatenus diversimode læditur, &
obnoxium est morbis, qui ex certis signis
& dignoscuntur & dijudicantur. Quarto
Therapeuticem, quæ regulas, leges ac
methodum tam interioribus quam exte-
rioribus humani corporis vitiis medendi
præscribit. Denique ad plurimorum Me-
dicorum mentem Medicinam in quinque
partes partiri licet. Prima est Φυσιολο-
γία: hæc universam hominis naturam
& œconomiam investigat, non solum
tractando de elementis, humoribus, spi-
ritibus, harumque rerum temperatione,
verum etiam & vel maxime de indole,
caussis atque effectis motuum vitalium,
qui

qui in hac corporis humani machina tum exteriōres tum interiores ejus facultates actionesque moderantur. Altera est *oīyēm*, cuius officium est sanitatem tueri. Pendet autem sanitatis custodia e quatuor potissimum generibus rerum, scilicet ut Medici loquuntur, admonendarum, educendarum, faciendarum, & a foris incidentium. Admonendorum nomine veniunt cibus, potus, & si quid medicamentorum sumitur, quin & aer haustus. Facienda complectuntur frictionem, ambulationem,vectionem, equitationem, omnemque aliam corporis exercitationem: sub hoc genere continentur etiam somnus, vigilia, animi affectiones & pathemata. Foris incidentur aer, qui nos circumdat, unguenta, lavacra. Ad educendorum classem pertinent, quae in alvo, jecore, liene, venis & arteriis, reliquisque corporis partibus tanquam sentinis excrementa colliguntur. Tertia pars est *Παθολογια*: ista eorum, quae harmoniam solidarum & fluidarum corporis partium, motusque vitales turbant ac lædunt (unde morbi omnis generis pullulant) multiplices caussas, affectiones ac symptomata sollicite indagat atque scrutatur. Qua in re maxime posita est Medicis

dici peritia, nimirum ut quem vocant morbi statum deprehendat, ne secus medicamentis suis a curationis scopo penitus aberret, & noceat magis quam profit, atque vespillonis potius quam Medici partes agat. Quarta Σημειωτικὴ, quæ in dignoscendis morbis, eorumque progesione, atque eventu prædicendo tota occupatur, estque hariolationis genus quod-dam, accuratis tamen observationibus eorum, quæ communiter fiunt, innixum. Nam indicia tradit, quæ vel integrum vel laſsam valetudinem demonstrant, atque adeo præteriorum cognitionem, præsentium animadversionem, prædictiōnemque futurorum continet. Cautum tamen hac in re Medicum esse, nec nisi diurna praxi instructum huic medicinæ parti operam dare oportet. Quinta demum Θεραπευτικὴ, cuius munus est, pharmacis ad artis leges & placita comparatis morbos aggredi, arcere mortem, sanitatem perditam restituere, restitutamque aptissimis munire præsidii. Pars hæc postrema, in qua propria medicandi ratio sita est, in tres alias inferiores tanquam superior distribui solet, nempe in Διαιτητικὴν, Φαρμακευτικὴν, & Χειρουργικὴν. Prima seu Diætetica est vietus ratio, qua-


tum noxia tum superflua subtrahuntur alimenta, & tam potus quam cibus stomachi viribus adtemperantur. Altera seu Pharmaceutica, quæ medicamentis intra & extra corpus admotis, seu simplicia sint seu composita, medetur. Postrema seu Chirurgia, cuius cognitio necessaria est Medico, non ut exerceat, sed ut Chirurgorum, qui non raro pinguioris mineraliæ sunt, errores corrigere, eosque informare queat. Inde fit, ut in celebribus Academiis publicæ pro Chirurgis scholæ vel cathedræ sint constitutæ, in quibus a Professore Medico erudiantur. Quodsi jam ea, quæ hucusque latius dicta sunt de partitione Medicinæ, in pugnum contrahere velimus, cuique palam erit, omnem artem medicam duobus cardinibus contineri, scilicet in sanitate tuenda, & in ea si læsa sit, reparanda. Ad primum Physiologia & Hygiena, ad secundum Pathologia, Semiotica & Therapeutica cum appendicibus suis referuntur.

XII.

Verum non duntaxat inter medicinæ partes, ut vidimus, magna diversitas intercedit, sed etiam ipsos inter Medicos ob curationis methodum. Alii sunt *Empirici*, qui sola experimentorum observatio-

tione nituntur: alii *Methodici*, respicien-
tes ad morborum caussas posthabita ex-
perientia. Aliqui *Dogmatici* seu *Ratio-
nales*, qui utrumque conjungunt, ratio-
nem & experientiam. Ex his rursus ali-
qui dicuntur *Galenici*, qui secundum Ga-
leni præscriptum mederi solent adhiben-
do potionis medicatas, catapotia, empla-
stra, variaque medicamenta tum simplicia,
quæ sine admitione rei alterius, tum
composita, quæ ex simplicibus inter se
commixtis parantur. Alii adpellantur
Chymici sive *Hermetici*, sive *Paracelsi-
stæ*, aut *Spagirici*. Chymici quidem a
græca voce *Κημεία*, quæ est auri argen-
tique præparatio, vel a *Κυμᾶς*, quod li-
quorem significat: Hermetici vero ab Her-
mete Trismegistro: Paracelsistæ a Para-
celso: Spagirici ἀπὸ τῆς σπάνιας seu σπάσω
& ἀγείρω, eo quod in extrahendo sive
separando a crassioribus subtiliores par-
tes, hasque congregando coagulandoque
ars chymica occupetur. Hi caloris ope
artificioque manuum medicamenta parant,
mirabili subtilitate pura secernentes ab
impuris, extrahendo intimas rerum vires
(*quintam essentiam* vocant) quæ quum
tenuiores sint, quam ut tundendo mace-
ran-

randoque separari queant, ignem adhibent, a quo per clibanum & ustrinam convertuntur vel in spiritum & oleum, quod fit *distillando*, vel in salem seu pulverem *calcinando*, defudantque in emolienda medicina *Catbolica*, quam adversus omne morbi genus praesentaneum volunt esse remedium. Porro alii vocantur *Anatomici*, qui corpora mortuorum incident, viscera patefaciunt, & ferro rimantur, omniaque membratim & articulatim examinant. Denique *Clinici*, olim dicebantur quasi *Lectularii*, qui lectulis ægrotantium assidentes sedulo morbi mutationes seu crises observabant, tum diaeta & pharmacis opportune adhibitis curationem instituerunt. Adeo multis nimirum indiget ministris vita & lantitas, tum ut servetur, tum ut læsa reparetur.



C A P U T III.
R A T I O V I T Æ E T
S A N I T A T I S.

§. I.

Indoles Vitæ.

XIII.

Primum omnium, quod heic nosse oportet, est ratio vitæ ac sanitatis, quid utraque sit, unde proveniat, & a quibus instrumentis pendeat. Ad primam quod adtinet, seu vitæ rationem, machinam corporis humani considerare juvat. Est hæc e diversis partibus miro sane artificio composita: ossibus plus quam ducentis veluti palis & columnis fulcitur, quorum articulos omnes totidem cartilagines incrustant: nervorum plusquam triginta paria ceu funiculi corpus illigant: arteriæ plurimæ quasi tubi & aquæ ductus, qui sanguinem per omnes partes dispensant, nec pauciores venæ vasaque eundem cum lympha ad cordis thalamum

mum revehunt : musculis fere quadrin-
gentis, carnibus diversi generis tanquam
tomentis viscera omnia obteguntur , &
per ligamenta innumera inter se nec-
tuntur membra corporis : verum omnes hæ
partes, nisi debita ratione moveantur, &
impellantur, inanimæ ac emortuæ sunt.
Ex quo facile patet , quod vita ipsa in
machinæ hujus, earumque partium, præ-
cipue cordis motu vitali pulsuque consi-
stat. Structura enim sola corporis neu-
tiquam sufficit ad vitam, utpote quæ per
vires naturales, magisque per eas , quæ
supra naturam sunt , etiam post mortem
eadem esse, corpusque incorruptum ser-
vari potest. Vivere igitur dicitur, quan-
do & quamdiu adest illa motio ordina-
ta, quæ fit a partibus fluidis per arterias
& venas seu parvas seu magnas ; quas-
que motiones & fluxus continuo promo-
vent fibræ atque fibrillæ, premendo con-
stanter ac propellendo materiam fluidam,
quemadmodum patet in systole ac dia-
stole ; siquidem experientia communis
nos docet apud plerosque , mortis cau-
sam haud aliam esse, quam motum san-
guinis intercepsum , dum vel copiosus
sanguis aut aqueus humor e vasis suis
egressus in vacuam corporis partem sese
exonerat , vel nimium addensatus mini-

nas partes inflammat, vel dum solidæ aut liquidæ partes putredinem contraxere, vel in vasis sanguineis carnea moles accrescit, quam polypum vocamus, & arterias obturat, ita ut sanguinis motus omnis subito sistatur. Sic contingere videntur in fontium aquis, quæ per canales meant, ac flaviis, quos litora coercent; quamdiu enim celeriter & expedito moventur, nullum iis corruptelæ periculum imminet: at ubi aer aut aliae forces sese insinuant, qui motum retardant hebetantque, facile corrumpuntur aquæ, ac veluti emoriuntur. Profecto bene ordinata sanguinis circuitio alienas noxiasque particulas, forte in corpus penetrantes, seque humoribus miscentes, quæ putredinis vitium adferre possent, secum avehit atque expellit. Quippe cum sanguis in gyrum eundo tot diversas glandulas & partes purificationi destinatas continuo permeare debeat, remanent innumeræ particulæ salinæ, sulphureæ ac pituitosæ, quæ turbata humorum republica multis morbis portam aperirent, si massæ sanguineæ diutius adhærescerent, nec celeri illo, de quo dixi, motu sanguinis abriperentur, & per corporis meatus foras ejicerentur. Porro sanguinis circuitio firmissimum illud vinculum, quod cor-

corpus inter & animam intercedit, quodque *unionem* nuncupant, conservat. Nam videre licet, quamprimum sanguinis circuitus per cerebrum ejusque tenuissimas arterias hebetatur, vel omnino definit, actum esse de animæ operationibus. Hæ namque tales esse solent, qualis illius per cerebrum motus: si celer hic est, etiam operationes animæ celeres erunt, seu cogitat, seu velit: contra si sanguis lente ac difficulter se circumagat, etiam pigescunt animi motus, cogitationes, &c. Quare omnes corporis partes hac circuitione nutriuntur atque firmantur: quæ ratio est, cur ingruente morbo phlebotomia adhibetur, aut per medicamenta a fœcibus purgetur sanguis, ut scilicet noxia foras mittatur materia, eidemque libere in omnem partem meandi copia fiat.

XIV.

Ex his facile patet, vitæ rationem in debita ordinataque partium corporis tum solidarum tum fluidarum, præcipue sanguinis motione consistere. Sed modo in hujus ipsius motionis caussam & principium ulterius est indagandum, qua in re non pauci, etiam honoratissimi Medici, nescio quo Philosophiæ Mechanicæ spiri-

tu correpti & transversum acti non modice hallucinantur. Minime dubium esse potest, Deum artificem summum ita corpus humanum fabricasse, ut nihil eo perfectius spectando ordinem & symmetriam : maxime vero si habilitatem eam consideremus , qua omnes corporis partes ad motus diversos ordinatosque expeditissimas reddidit : verbo , corpus perfecte mechanicum elaboravit. Verum ut in aliis omnibus operibus mechanicis , ita etiam in hoc opus est causa quadam principali ac effectrice cunctarum motionum istarum , a quibus vel maxime ac unice vita penderet, immo in quibus consistit. At quænam ista? animam esse hominis nemo hominum est, qui neget aut negare possit. Sunt tamen, uti dicebam, non pauci Medicorum, etiam qui de scientia præclare scriperunt, qui animam humani corporis dominam venerantur quidem tanquam primam caussam spiritualem, eique virtutem tribuunt operandi certo quodam ordine , & secundum certas leges, quam virtutem in eo positam esse volunt , quod res objectas sensuum ministerio percipere, perceptionesque istas dijudicare , ac varias affectiones intelligendo, volendo, fugiendo, amplectendo, &c. prout lubet, excitare valeat ;

Ieat; quin etiam ob intimam harmoniam
& consensum cum corpore vi sua, qua pol-
let imaginandi ac desiderandi, ad motio-
nes aliquas quasi extra ordinem positas
illud determinare queat; at omnium mo-
tionum corporis naturalium caussam &
principium esse contendunt solum me-
chanismum; & quamvis corporis fa-
cultates ab anima pendere afferant, ma-
gis tamen animam in operationibus suis
a corpore, ejusque motibus, præsertim
notissima humorum temperie dependere
docent. Verum si rem bene intelligo,
isti præterquam quod secundum Cartesia-
næ scholæ placita ex brutis mera faciant
automata, ad hominem quod adtinet,
delabuntur tacite in absurdam illam Hel-
montii opinionem, quam retuli Cap. I.
§. III. num. IV. de Archeo seu princi-
pio illo omnium corporis motuum, cau-
saque omnium morborum ac medicatio-
num. Ut nihil heic dicam de brutorum
anima ejusque functione, de qua in libro
de Philosophia differui, illud solum quæ-
ro, quid per mechanismum intelligent,
an solas machinæ hujus partes seu soli-
das seu fluidas, an aliquid hæc omnia
certis legibus gubernans? si primum, ul-
teriori quæro, si quis ad pulpitum sedens
vidensque librum in forulis positum, quo

indiget, subito surgit & accedit ad eum depromendum, quis pedes prius quiescentes movet? num liber ipse aut aliquid, quod ex ipso affluit, & ad se trahit? nugæ. Num nervi & fibræ? sed a quo istæ tenduntur? an a fluida matre, ac spiritibus in musculos irrumpentibus? sed quis hanc aut illos excitat atque propellit? an sanguis advehit? num cor per motum systoles vel diastroles? sed quæ motus hujus caussa? an imaginatio animæ? sed hæc ad mechanismum non pertinet, nec quid commune cum illo habet, atque de hac ipsa imaginacione quæstio procedit, quis eam excitet. Ecce! difficultatis punctum. Certe sedente homine omnes aderant machinæ partes solidæ ac fluidæ, meabant libere spiritus, ibat in gyrum sanguis, movebatur cor, verbo, totus aderat mechanismus, quin tamen homo ille surgeret, progrediereturve. Si secundum intelligent, scilicet aliquid præter hæ omnia & singula, alia non occurrit caussa, quam anima volens surgere ac progredi ad librum depromendum, atque hunc in finem movens instrumenta sua seu organa, quibus constat corporis machina ad animæ servitium semper parata. Obvium adduxi exemplum; longe fortiora suppedi-

ditat Philosophia. Fateamur igitur cum Poeta, primum in humano corpore motus vitalis fontem ac caussam esse animam :

*Spiritus intus alit, totamque infusa
per artus*

Mens agitat molem.

Quantumvis autem principalis, uti dictum est, caussa sit anima, admitti tamen in consortium potest alia, quam *Instrumentalem* vulgo vocant, nimirum spiritus e sanguine in subtilissimam substantiam resoluto (*volatilisato* Chymici nuncupant) geniti, qui naturam sanguinis *salino-oleosam* participantes luminis seu radiorum instar intima machinæ corporæ penetralia subeunt, ac vitali calore, vique sua elastica, velut spira rotas in horologio, ita in corpore humano fibras & tendines excitant; unde horum motu quoque fluxu intercepto non sine periculo evanescunt, quemadmodum adparet in iis, qui syncopen patiuntur, in quibus velut in momento universum corpus ac si mortuum foret, languescit. Num autem vim virtutemque suam exerceat anima (quæ tota est in toto corpore, ac tota in qualibet ejus parte) residens in

cerebro, in quod veluti confluunt omnia sensuum organa, an vero in corde, quod præcipuum motus instrumentum est, vel in quavis parte, prout cujusque facultas & functio exigit, res est, de qua in utramque partem disputare, non autem certi quid statuere licet.

Jam vero, ut vitæ ratio ulterius clariusque patescat, nosse oportet, qua ratione tam solidæ quam liquidæ partes debeat esse constitutæ, quarum ministerio vita conservatur. Primo considerandæ veniunt fibræ & filamenta, ex quibus partes solidæ componuntur, quæque plurimum ad promovendam partium fluidarum motionem contribuunt. Ejusmodi filamenta sunt optima, quæ licet densa sint, apta tamen sunt ad movendum, debitaque tatione extenduntur; quippe nimis densa vel inflata, aut nimis flaccida, aut plus æquo dura motui non prosunt. Et vero ipsa senectus, viresque tunc decrescentes proveniunt ab istiusmodi filamentis nimium induratis, nec celeris sanguinis motus capacibus. Certe Verulamius notat, (u) longævæ vitæ signum esse, quorum cutis densa, fortia filamenta, & fibræ, arteriæ, ac venæ prominentes,

(u) In hist. vit. ac mort.

tes, dentes firmi, pectus latum, oculi magni, manus longæ, paucis intus lineis signatæ. Præterea magnum vitæ emolumentum præstant venæ ac arteriæ latæ, utpote ad motum velocem nec impeditum aptissimæ. Unde Hippocrates (x) pinguibus non ita longam promittit vitam, ac macilentis, quoniam apud illos solidæ partes carne oppletæ sanguinis fluxioni multum negotii faceſſunt. De partibus fluidis illud universim pronunciare licet, quod sicut solidæ debita magnitudine ac capacitate, ita hæ convenienter fluore ac circuitione debeant esse instruētæ. Propterea opus est quota sanguinis portione, quam certam quantitatem vocant. Nam si abundet, ejusdem motus circulatorius patitur, sensimque destruitur, particulæque retentæ massam illius inficiunt, & ipsas partes solidas aggrediuntur, quibus semel læsis plurimi diversis modis morbi propignuntur. Quapropter qui vitæ suæ prodigi non sunt, diætam observant ipsi, suadentque aliis, utpote cuius ope in quadam æquabilitate & velut æquilibrio conservetur sanguis, vitæ minister fidissimus. Ita Sanctorius celeber in Italia Medicus ait: *qui di-*

(x) Aphorism. 44. Sect. 4.

didicit, quantum singulis diebus nutrimenti conveniat sibi, vitam & sanitatem diu conservare potest. (y) Ita Ludovicus Cornarius, de quo Lessius, (z) & ipse Lessius, doctissimus societatis nostræ Theologus diuturnam afflito licet corpore vitam vixerunt. Nimirum satis commune apud Latinos proverbium est : *Modicus cibi Medicus sibi.* Sed plura de diæta differendi alias sese locus offeret. Nunc de sanitatis ratione porro agendum est.

§. II.

Sanitatis ratio.

XV.

Thesaurus hic est, qui nullo satis pretio comparari estimarique potest. Si quidem vere cecinit Horatius (a)

Si ventri bene, si lateri est, pedibusque tuis, nil

Divitiae poterunt regales addere manus.

Democritus eam adpellare solebat *unicum turbulentæ hujus vitae solarium, summum-*

(y) *Sext. 5. Aphor. 34.*

(z) *In Hygiasicon.*

(a) *In Epist. 12.*

mumque in terris post Divina bonum,
quod, ut ait, a Medicis petitur & ex-
torquetur, quum tamen vim ad eandem
homines in semetipsis nesciant, dum si-
ne ordine viventes propriæ valetudinis
sunt proditores. His scite consonat alias
Poeta :

Nolumus & volumus produci tempo-
ra vitæ :

Nolumus a nobis, malumus a Me-
dicis.

Profecto prudentis est, nobilissimam hanc
gazam cum cura aliqua custodire, potius
quam amissam magno cum labore & pericu-
lo acquirere, præstatque morbum non ad-
mittere, quam admissum curare, valet-
que heic illud Ovidii (b)


Turpius ejicitur, quam non admitti-
tur hospes.

Collocat autem Aristoteles sanitatem in
corporis perfectione : Galenus modo in
debita humorum crassi seu temperie, mo-
do in actionum ordinata exercitatione,
sæpius in recta partium conformatio-
ne. Recentiores Medici distinguunt, & pro-
fundamento sanitatis adsignant ea, quæ
in

(b) 5. Trist. 7.

in corpore existunt, scilicet partes corporeæ ac vitalis machinæ debito modo constitutas, & conveniente motu agitatas: pro forma vero dispositionem naturalem ex bona partium homogenearum temperie, aptaque ad functiones organorum symmetria resultantem. Porro temperiem haberi docent tum per primarum qualitatum proportionem, tum per sanguinis, ejusque particularum *sulphureo-salinarum* blandam *fermentationem*, ut vocant, quæ calorem & spiritus progignit, qui partim per singula membra corporis æqualiter distributi, partim sub generationis & nutricationis negotio solidis partibus intime sociati eam, quam dixi vitalem temperiem largiuntur: Organicarum vero partium symmetriam consti-
tuunt in earundem debito numero, de-
centi magnitudine, justa conformatione
tum in figura & tono qua vasorum qua-
meatum, tum in conveniente situ nexu-
que. Per tonum autem intelligunt de-
bitum robur & firmitatem minimarum fi-
brarum vitalibus partibus ubique inter-
textarum, quæ si validæ, tensæ, ac invi-
cem bene compactæ fuerint, accedente
ordinata motione humores seu necessarii
& salutares retinentur, seu superflui ac
noxii

poxii expelluntur. Atque ex his modo
allatis in medium tota sanitatis ratio &
haberi & facile intelligi posse videtur.



CAPUT IV.

FABRICA CORPORIS HUMANI.

Ad perfectam sui notitiam, quantum ad corpus adtinet, oportet nosse, qua ratione humani corporis fabrica sit constituta. Sane fieri nequit, ut absque hac notitia aut qui sano est corpore, adversus tot inimicorum insultus tueri illud possit, aut qui ægro, vel se ipsum juvare, vel Medico sinum pandere, ac morbi symptomata rite queat explicare, unde mirum quantum prospera curatio pendet. De hac re pauca delibavi in libro de Philosophia: pluribus eam persequi nunc juvat.

§. I.

S c e l e t o n.

XVI.

Primus & prævius labor est examinare Sceletum, quod est strues omnium ossium, quæ mirabili nexu in humano corpore consociantur; repræsentatque osseum hominem detracta cute, ablatisque partibus carnosis. Dividitur autem præcipue in *caput*, *truncum*, & *artus*.

Caput sceleti duas complectitur partes, cranium & faciem. *Cranio* tanquam lapideo muro cerebrum tegitur, estque in solo homine rotundum. Porro distribuitur in octo omnino ossa, scilicet in os frontis, os duplex verticis seu sincipitis, os occipitis, geminum os temporum, os, quod cunei, & alterum quod cribri formam imitatur. Os frontis exteriorem calvæ partem, & superiorem faciei, quam frontem adpellamus constituit. Ossa sincipitis connexa per suturam ut vocant *Sagittalem* contingunt verticem, & omnium ultima durescunt; quumque sub ipsis præcipue jaceat cerebrum, vulnera sincipitis lethalia sunt.

Os

Os occipitis totam fere posticam capitis partem occupat. Ossa temporum' auribus adjacent, nomenque suum inde sortiuntur, quod ibi primo senecta per canos prodere se incipiatur. Os *cuneiforme* situm est in media basi capitis & cerebro instar fundamenti substernitur. Os *cribriforme* instar spongiae opplet cavum narium, & multis foraminibus hiat, quæ ad pituitam exonerandam inserviunt. *Facies* constat geminis ossibus præcipuis, nemirum maxilla superiore ac inferiore. Superior est immobilis: mobilis inferior, ut serviat tum ad manducandum tum ad loquendum. Utrique insiguntur dentes, quorum quatuor medii vocantur *Incisores*, quia veluti scindunt cibos; his duo utrinque succedunt, qui Canini propter acumen & duritatem nuncupantur; quod enim scindere nequeunt illi, confringunt isti. Reliqui Molares dicuntur a figura & officio, quia velut lapides molares grana frumenti, sic isti cibos conterunt & commolunt. Universim in humana facie rite constituta dentes triginta duo reperiuntur, quamvis sint aliqui, qui pauciores habent, rari qui plures.

Truncum alteram sceleti partem compонunt ossa præcipue sex, nempe spina,

na, costæ, os anonymum, os sternum, claviculæ, scapulæ. *Spina* est, quæ variis grandioribus articulatim connexis ossibus a cranio usque ad os anonymum excurrit, estque medullæ domicilium, non secus ac calvaria cerebri: præterea tota est coagmentata plurimis ac fortissimis ossibus, quæ vertebræ dicuntur, quoniam eorum opera corpus in omnem partem mire versatur: continet quoque sub se ossa cervicis, dorsi, lumborum, & os quod sacrum vocant, eo quod sit inter ossa spinæ **maximum**: maximum enim & sacrum antiquis fuere synonima. *Costæ* quædam sunt veræ, quædam spuriæ: illæ sunt, quæ aliis validiores a spina ad os sterni circulum implent, suntque digestæ in septem paria: istæ sunt, quæ minus validæ brevioresque non implent circulum, sed hiatum relinquunt, quorum quinque paria sunt. *Os sterni* costis a parte anteriore adnectitur, desinitque in cartilaginem: a parte vero superiore duo ossa protendit, quæ *Claviculæ* vocantur, quia clavis instar brachia cum sterno connectunt. A parte posteriore sunt *Scapulæ*, quæ veluti geminæ tabulæ compagem costarum continent. Demum *os Anonymum* est veluti basis totius trunci, quum eo immoto reliquum corpus moveatur, atque in tres

partes dispescitur, scilicet in os Ilium, os Ischium seu coxam, & os Pubis.

Artus duo sunt, nimirum manus & pedes. *Manus* porro dividitur in brachium, cubitum, & extremam manum. *Bracgium* unum os est, *cubiti* autem duo: *extrema manus* multis ex ossiculis componitur, præcipue ex carpo, metacarpo, & digitis. *Pes* continet femur, tibiam & summum pedem. Os femoris unicum est a coxendice ad genu usque protensum. *Tibiae* sunt duo ossa. *Pes* extremus tarlum, metatarsum, & digitos complectitur. Præter hæc ossa soli homini inest os latum, rotundum & planum in anteriore genuum parte (*Patellam* dicunt) cui corpus incumbit, quum genua flectuntur, utpote ad quem verum Deum adorandi ritum solus homo reliqua inter animalia est destinatus. Cæterum ossa sensu carent: vestiuntur tamen membrana acerrimi sensus, quæ *periostium* vocatur, eum scilicet in finem addita, ut ossium injurias animal sentiat fugiatque.

Atque hæc sunt ossa, præcipua consideratione digna in sceleto, quamvis alia multo adhuc plura reperiantur. Galenus numerat plus quam ducenta; Argentoratum. LIB. X. Echan-

changelus ducenta quadraginta novem : Riolanus plus quam trecenta , alii tot , quot sunt unius anni dies : Galtruchius in puerulis , in quibus ossa necdum coalescerunt , computat ossa simul & ossicula sexcenta septuaginta sex . Communi autem Medicorum calculo in homine ducenta quadraginta sex recensentur , non veniente in numerum cartilagine , quæ media est inter os & carnem , hac durior , flexilis & sensus expers , neque ab osse differt , nisi ut res inchoata a perfecta , nam plerumque procedente ætate in os transire solet . Hinc Joannes Tagaultius prioris ævi Medicus excellens vere cecinit de homine :

Adde quater denis bis centum , senaque , babebis

Quam sit multiplici conditus osse semel.

Schola vero Salernitana omnem ossium , dentium , & venarum calculum his versibus complectitur :

Ossibus ex denis , bis centenisque , non venis

Constat homo , denis bis dentibus & duodenis ,

Et

*Et ter centenis decies sex quinqueque
venis.*

§. II.

Animalis Regio.

XVII.

Præmissa Sceleti notitia ad ipsam corporis humani structuram pergamus. Celeberrima est apud Medicos divisio, qua interiorem illius œconomiam in tres regiones partiuntur, nempe in animalem, vitalem ac naturalem. *Animalis* complectitur eas partes, quæ intra caput, *Vitalis*, quæ intra thoracem, *Naturalis* denique, quæ intra ventrem continentur. *Animalis regio* est illa, e qua motus sensusque animales in reliqua corporis humani membra derivantur, ubi anima in subjectas partes, non secus ac sidera de cœlo in terras, dominatur. Caput enim non solum humanæ mentis ac rationis Curia, sed facultatum quoque sentientium Regia est, in qua virtus sentiendi residet, quam interiorem vocamus, propriasque sibi functiones exercet, dum interim ea, quæ exterior dicitur, in organis cerebro affinibus, præcipue in nervis subtilissimis, ramorum instar e cerebro

velut truncō ad reliqua sensuum organa propagatis sedem figit, illisque moderatur, utpote ibidem collectis, si ex parte sensum tactus excipias; quamvis enim visus, gustus, auditus, odoratus, tactusque dicasteria cerebro tanquam Curiæ sint vicinissima, e qua omnis illorum vis agendi derivatur, tactus tamen per reliquum corpus una cum nervis late diffunditur, per quos animales spiritus in membra omnia dispensantur, qui ad sentientis animæ imperium semper intenti vicarijam in eorundem actus & motus potestatem exercent, & corpus in omnem qua libet partem convertunt. Quare in hac animali regione seu in Capite lustrare oportet primo cerebrum, dein oculos, aures, linguam, nares, & nervos quinque sensibus proprios.

1. Cerebrum, quod spirituum emprium est, & a Platone divinum membrum, a Democrito mentis custos, ab Homero cœlum appellatur, massa est exteriorius cineritia & corticosa, interius alba & medullaris, tantæque molis in homine, quantæ nec in maximis animalibus, ut bove aut equo; ampliorem scilicet Regiam nobilissimæ animæ præparante natura, quæ et si continuum illud esse volue-

luerit, solers tamen scientia distinguit in partes, nempe *cerberum magnum, cerebellum, & spinam medullarem*. Totam vero cerebri massam tanquam pretiosum hominis cimelium duæ involvunt membra-næ, quas Græci *Meninges*, Arabes *Matres nuncupant* (tertiam his duabus Recen-tiores Anatomici adjungunt *Arachnoidem*, ob similitudinem telæ aranearum sic di-ctam) Harum quæ propior cerebro, te-nuior & mollior est, vocaturque *pia Ma-ter*: altera vero densior & crassior *dura Mater*: dura ut defendat, pia ut soveat. Hæc dura Mater basi ipsius cranii fortis-sime adhæret, & supra tenuem menin-gem effusa totum cerebrum investit; in medio autem sinum aperit, quo in duo veluti hemisphæria, dextrum nempe & sinistrum, crassiore quadam substantia *Fal-cis* figuram referente tota cerebri moles dividitur. Contra vero pia Mater duræ subiecta cerebrum pariter ambit, atque adeo arcte complectitur, ut ægerrime, nec citra ejusdem læsionem divelli queat. Circundat autem illud instar retis e va-forum, quæ sanguinem vehunt, labyrintho contexti & *Chorois* dicti. Pars in-te-rior majore in cerebro perfecte albicans est & medullaris, exterior vero cineriti coloris & in profundos anfractus se dif-

fundit, ac in duo quasi propugnacula dividitur. His sub sternitur *Fornix* seu corpus callosum, laquearis instar superiorem cerebri partem sustentans, duosque intra se *ventriculos* abscondit, in dextrum & sinistrum *septo lucido* sive tenui membrana tanquam pariete distinctos, quos receptacula quidam esse credunt spiritibus animalibus, quidam vero cerebri exspirationi destinata, plurimi Recentiorum ad seri humorem a sanguine ibi depositum excipiendum exonerandumque volunt esse a natura excavatos. His subjecti intumescunt duo *tbalami nervorum optorum*, quos inter protuberant partes aliquæ, e quibus eminet exigua quædam *glandula Pinealis*. Atque hæc famosa illa glandula est, in qua animæ regiam sedem extruxit Cartesius negans ipsam per totum corpus diffundi, sed ex hoc velut solio in reliquas corporis partes dominari assens. A majore cerebro ad minus per gimus, quod *cerebellum* quasi privatum cerebrum dicunt, in duo pariter hemisphæria divisum, estque ejusdem cum cerebro substantiæ, magis tamen corticatæ, & decuplo ferme majore minus: sedem habet in occipitis concavo, duabusque ejusdem fossis circumscribitur. Cerebellum hoc ex innumeris gyris, circellis, & la-

laminis contexitur, meliore quam in magno cerebro ordine dispositis; intus vero frondes ac ramos arborum non in amoenissimo spectaculo referre videtur. *Spinalis* vero *medulla oblonga* medullatæ substantiæ portio est, quæ ab infima cerebelli parte usque ad *os sacrum* intra *vertebras* vel *spinam dorsi* excurrit. Ab hac intra crani parietes conclusa *decem nervorum paria* oriuntur; *triginta paria* vero, quando extra cranium per *vertebras* se diffundit, quibus per totum corpus animales spiritus dispensantur.

2. *Oculus*, pars altera mundi animalis, præcipuum visus organum est, sol in in parvo hoc mundo diei arbiter, humani corporis specula in sublimi collocata. Ejus forma sphaerica est, si anteriorem tantisper protuberantem excipias. Quintque tunicis vestitur, vel ut alii malunt, tribus totidem humores sinu suo continentibus. Tunica seu membrana prima dicitur *Cornea*, quæ perspicuitate sua, duritie atque colore tenuem laminam corneam, quali sëpe laternas noctiluceas armamus, imitatur. Altera est *Sclerotica* admodum crassa, quæ tamen eosdem cum cornea natales habet, & utraque duræ matris progenies est: distinguit tamen

eam a priore alba quædam membrana, quæ illi prætexitur & *adnata* vocatur, tum ut decorum oculo conciliet, tum ut ejusdem volubilitati serviat. Tertia est *Uvea* sic dicta a colore uvam referente, quamvis in homine diversi coloris sit, in aliquibus cæsi, &c. pellicula hæc in medio foramen habet, quod pupillam appellamus, circa quam emergit circulus *Iris* nuncupatus, ex fibris subtilissimis contextus, & *processu ciliari* terminatus, qui crystallinum humorem cingit, eumque velut libratum tenet. Quarta est *Chorois* scleroticae contigua, cujus superficies concava est, polita tenuis & mollis, suavique oculum nigredine opacat, quæ per humorem crystallinum transparens spectandam se præbet illis, qui pupillam intuentur. Utraque denuo, uvea & chorois, ab eadem matre nempe *pia* gignuntur: anteriore tamen parte uvea, posteriore chorois dicitur. Quinta denique est *Retina*, membrana omnium terrima, ex medullatæ substantiæ nervi optici per fundum oculi diffusione producta. Hæc in oculi interioris conclavi instar subtilissimæ telæ expansa lumen ac species per pupillam immissas excipit, & objectam imaginem in se depictam eo, quo in camera obscura fit, modo exhibet.

Tu-

Tunicæ istæ velut ripæ tres humores coercent: primus est *aqueus*, qui corneam inter & processum ciliarem eam, quæ protuberat, oculi partem inundat. Alter *crystallinus* sic dictus, quia figura inæqualiter convexa, soliditate aliqua, & pelluciditate maxima crystallum imitatur: hunc membrana tenuissima, quam *araneam* seu *arachnoidem* vocant, involutum tenet. Tertius est *vitreus*, humor, qui in ea, qua oculus in orbem abit, parte stagnat vitro fuso similis, admodum diaphanus, & pellicula subtili (*hyaloideum* dicunt) vestitus. Machina hæc sane mirabilis, ut in omnem gyrari partem queat, sex musculis instructa est: *superbo*, qui oculum attollit, *bumili* qui deprimit, *bibitorio*, qui oculum ad angulum naribus adsitum adducit, ut inter bibendum fieri solet: *indignatorio*, qui ad oppositum utrinque angulum eos abdueit, maxime tunc, quum in signamur, *amatoriis* duobus, qui oculum in gyrum agunt, & blandimentis deserviunt. Jam exposita oculi fabrica quæstio exurgit magno quondam opinionum dissidentium strepitu agitata, quanam in parte visio fiat. Post Scheinerum S. J. & Willisum communissima nunc est sententia, *tunicam retinæ proprium illius organum esse*: in primis enim

omnium ordinatissime clarissimeque per species rei objectæ intromissas in ea de-pingitur imago. Docet hoc analogia, quæ inter oculum & cameram obscuram intercedit, in qua vg. turris in campo stantis imago spectanda insipientibus of-fertur. Quod enim ibi foramen, heic est pupilla, quod ibi vitrum convexum, heic humor crystallinus, quod ibi charta est, vel tela ad species objectæ rei excipien-das, heic retina ad imaginem repræsen-tandam. Dein per spiritus animales in retinæ nervulis residentes ejusmodi pictu-ræ, rerumque per eam repræsentatarum fit perceptio. Patet hoc in iis, quibus nervus opticus humore aliquo obstruitur; nam sic impedita spirituum a cerebro in oculum propagatione, licet humor cry-stallinus integer persistat, & in retina pa-riter incolumi pingatur specierum ope-res objecta, neutiquam tamen ex defectu spirituum, per quos anima percipit, visio efficitur.

3. Oculum excipit auris tertia mun-di animalis pars. In duas commode par tes dividitur mirabilis hæc machina: in aurem exteriorem & interiorem. Exte-rior seu *Auricula* foras extra caput pro-minet instar ostii, quod vagantes in aere

sonos excipiat, exceptosque per plures anfractus & ambages semper angustiores ad interius auris conclave admittat tibi in *concha* desinit, interior auris incipit, cuius aditum pandit *meatus acusticus*: posticam hujus partem occupat *tympanum* seu *circulus osseus* subtilissima simul & firmissima membrana obductus, ita nuncupatus ob *tympani* bellici, quam refert, figuram. Provida natura illi quatuor quasi custodias addidit, totidem nempe ossicula, quorum primum *incus*, alterum *malleus*, *stapes* tertium, quartum *stapedi* adhaerens *os orbiculare* adpellatur. Columbus dum auris structuram examinat, in fabri ferrarii officinam delapsum se credidisse videtur, quum incudem hanc a malleo tundi scribat, quoties nova vox aut sonus Steropis & Brontis vices agens eo perveniret: sed melior anatome deprehendit, ossicula haec firmis inter se vinculis seu articulis cohærere. Willisius hoc eis munus adsignat, ut externo sono perculta tympani membranam modo tensiorem modo laxiorem efficiant, non secus ac oculi pupilla pro diverso lucis illapsu jam dilatatur, jam constringitur, cui opinioni experientia suffragatur in nonnullis surdastris, qui ob laxam tympani membranam loquentium voces

ces non percipiunt, nisi inter strepitus campanarum, aut tympanorum tumultus, ubi nimirum ossicula vehementiore compiosioreque irruentis aeris motu sollicitata membranam ita tendunt, ut suo fungi officio queat. Illud sane mirandum, quod dum cætera corporis humani ossa crescunt, hæc in puerò & sene eundem magnitudinis terminum habeant. A tympano via dicit in *specum*, in cuius pariete extremo patent duo ostiola seu foramina, quæ *fenestras* adpellant, per quas in tertiam auris cavernam seu *labyrinthum* itur, mirabile opus naturæ, & par si non majus Cretensi. Heic *cochlea* in osse petroso triplici testudine circumducta visitur, estque auditus organi terminus per tot ambages & mæandros quæsitus, partim ut sonus multoties refractus clarior evaderet, partim ut species per angustos alveos circumvectæ paullatim & ordine sibi succedentes absque naufragio ad litus adpellerent. Nunc posteaquam auditus officinam lustravimus, quæstio se offert, in quanam organi hujus parte fiat auditio. Juxta P. Honoratum Fabri ea perficitur in membrana tympani tanquam aptissimo, ut pater, ad sonum excipendum ac reddendum instrumento. Verum huic opinioni utut speciosæ obstant duo:

pri-

primum experientia, quam Willisius (c) refert, in cane tacta, qui perforato licet auris utriusque tympano per tres tamen adhuc menses sonitum vocesque percipisse deprehensus est, quod e signis & actionibus exterioribus interiori perceptio- ni respondentibus colligere licuit: alterum ratio. Ad quid enim post tympanum tantus ambagum, foraminum, spirarum ac nervorum adparatus auditione jam perfecta? itaque praferenda videtur ea, quae hodie in scholis viget sententia, membranam ultimam cochleæ ab expanso nervo acustico derivatam proprium esse hujus sensus organum. Pars enim hæc ex medullata cerebri substantia de- scendit, nasciturque ex nervo acustico, per quem spiritus auditioni servientes ad- vehuntur. In hac tanquam termino si- stitur sonus: auricula enim hunc colli- git; tympani membrana magis vel mi- nus officiorum ope tensa vocalem red- dit; labyrinthus refringit, reflectit, ac temperat; membrana denique cochleæ vel rectius anima sonum in illa percipit. Hac igitur ratione tota auditionis gene- sis partium omnium functionibus accom- modata plenissime simul expeditissimeque absolvitur.

4. Ab

(c) *De anim. brut. Cap. 4.*

4. Ab aure ad linguam pergitus, quartam regionis animalis partem. Hæc gustom sedes, humanæ vocis organum vivis fistulis animatum, & mentis interpres est. Ejus caro, quam tunica pluribus nervorum surculis intertexta vestit, mollis, rara, laxa, spongiæ instar pertusa ac summe volubilis est. Fulcitur osse peculiari *Hyoïdes* seu *bicorne* dicto. Decem musculos ceu totidem motus ministros penes se habet, duos qui attollant, duos qui deprimant, duos qui producant, duos qui retrahant, & duos qui ad dextram & sinistram flectant. His igitur velut cardinibus insertum in omnem partem versatile hoc membrum est: ne vero mobile perpetuum fieret, forti ligamine coeretur, cuius extremæ parti adnascens funiculus *frenum linguae* nuncupatur. Etsi autem lingua sermonis instrumentum sit, neutquam tamen huic numeri suffecisset, nisi provida natura flexilem quandam cartilaginem *larynx* vocatam adjunxisset, quæ *asperæ arteriæ* in pulmones descendentis suprema pars seu caput est, & vocis modulanda organum, quatuordecim muscularis instructum, quorum ope variis modis comprimitur, laxatur, flectitur, & torquetur, atque ita emissus e pulmonibus aer in variis sonos articulatim formatur. Ex his partet,

tet, linguam tum ad gustus sensum, tum ad sermonis ministerium fabricatam esse. Quod ad primum adtinet, dubio vix locus esse potest, quin gustatus in *papillis nervaceis*, quæ per linguam velut disseminatae sunt, eliciatur. Omnibus enim animalibus insunt vel in ipsa lingua, vel saltem (ut piscibus lingua e carne carentibus) in palato. Ubi major earum est copia, ut in linguæ basi ac cuspidi, acutior etiam est cibi gustus, habentque maximum propter nervos cum spiritibus huic sensui servientibus commercium. Ad vocis autem distinctæ sonos efformandos plura cum lingua concurrunt instrumenta; maxime ut dictum est larynx, asperæ caput arteriæ: dein palatum, dentes quoque ac labia. Sic vocalis literæ *A* sonus in imo formatur gutture. *E*. depresso nonnihil ore, ac lingua dentibus admota pronunciatur. *I*. in media oris in angustias coacti regione nascitur. *O*. excavato parumper ore, & profundo aeris flatu profertur. *U*. vero coactis in sphæram labiis cum sibilo emittitur. Consonantium quædam solo labiorum motu gignuntur, ut *B. M. P. F.* *V*. Aliæ absque linguæ vel sublatæ vel depresso, concussæ aut vibratæ auxilio formari nequeunt, ut *C. L. T. R. &c.* Hanc vocum genesis quivis experiri potest in

ipso: si quis vero integrum & exactam desideret, exhibebit illam curioso Lectori P. Honoratus Fabri.

5. Sequitur modo ignobilioris sensus nempe olfactus organum, seu *Nares*, aeris spiracula, odorum sagaces exploratores & arbitri. Exterior nasus gemino foramine instructus est, tum ut collecti odores commodius ad olfactus patriam sedem deferri queant, tum ut canarium instar avehendis humidis cerebri excrementis inserviant. Distinguuntur autem nares cartilagine quasi septo quodam intermedio, a quo denuo binæ utrinque patent viæ: una sursum ascenditur ad *os cribiforme*: altera descenditur in fauces. Hinc non raro quæ per os ingeruntur, per nares effundimus, uti potum; & quæ per nares ingrediuntur, per os ejicimus, uti herbam nicotianam salivæ commistam. Inferiores narium anfractus tenuissima vestit membrana venulis & arteriolis propemodum infinitis intertextis distincta. Atque hæc modo passim tanquam proprium olfactus organum adsignatur, partim quia sensus hic, si humorum stillicidia frequentiora membranam istam obsideant, penitus obtunditur, partim quia nervi sensus istius ex ipsa prope cerebri substantia or-

orti, & per ossis *cribriformis* foramina
trajecti in hanc membranam desinunt.

6. Sexta regionis animalis pars sunt nervi, spirituum animalium canales, & animæ frena, quibus totum corpus, omniaque illius membra regit. Horum licet multi quatuor sensuum, nempe visus, auditus, gustus, & olfactus organis proprii sint, tamen quinto tactus sensui quoque serviunt. Intus molles sunt & medullati, duriores exterius & meningibus probe involuti. Eorum officium est, ut spiritibus animalibus quaquaversum stratam semper viam præbeant. Nam uti ex corde sanguinem ac vitales spiritus venæ arteriæque per totum corpus dispensant, ita ex cerebro & dorsi medulla (quæ est cerebri quædam propagatio) animales spiritus & cum iis motum per omnia membra distribuant nervi. Quum autem spiritus animales subtilitate mira prædicti facile se per poros ubivis insinuent, vix spatum aliquod vacuum, vel certe, quod oculorum aciem fugiat, in iis deprehendere licet. Anatomia ordinis studiosissima nervos dividit tum in eos, qui cerebro natales suos debent, tum in illos, qui ex medula dorsi descendunt: qui a cerebro ortum habent, in *decem paria* seu *conjuga-*

tiones ut vocant, distinguuntur. Præcipui sunt *par nervorum opticorum*, qui e thalamis supra memoratis media via sibi occurrentes decussatim ad oculos tendunt: aliud *par gustatoriorum* ad linguam: *olfactoriorum* ad nares: *acusticorum* ad tympanum auditus, e quo propaginem mittunt ad laryngis musculum, ut movendæ linguæ ac voci formandæ serviant. Unde qui surdi a nativitate, plerumque etiam muti sunt: *par vagum*, quod in varia membra ad cor, ad costas, ad stomachum, mesenterium, & ventrem inferiorem se diffundit. Nervorum vero e spinae medulla oriundorum *triginta parsia* multiplici sobole in totum corpus, præcipue in manus & pedes propagantur. Ex hac nervorum tam copiosorum mirabili dispositione, qui tam a cerebro, quam a medulla dorsi descendunt, sicut vice versa rami ex arboris trunco ascendunt, orta est similitudo illa celebris, qua homo *arbor inversa* dicitur. Jam vero destinatum tactui organum cutis proprie dicta una cum membranis interioribus, quæ a meningibus oriuntur, esse videtur. Hanc enim Malpighius & alii microscopiorum ope totam quantam ex innumeris arteriolis, venulis & nervulis contextam esse, ac in papillas, in qui-

quibus maximam tactus vim esse constat, fere innumerā cuticulam versus exsurgere deprehenderunt.

7. Supereft, ut quid spiritus illi sint, quorum ministerio ad exercendas sensuum actiones externas & motus quos *spontaneos* dicunt, anima utitur, & existant re ipsa ejusmodi spiritus, intelligamus. Duplex autem spirituum genus est, *vitalium* & *animalium*. Vitales ex pingui halitu sanguinis ope caloris in cordis ventriculis fecernuntur, magnaque subtilitate simul ac agilitate donati per arterias vitalis instar flammulae feruntur: animales vero ex vitalibus magis magisque defœcatis, & a fuligine, quam modice admixtam etiamnum habent, purgatis gignuntur in cerebro, suntque subtilissima prorsus ac vivacissima sanguinis portio, & velut quinta ejus *essentia*. Vitalis spiritus dos est, ardere & irrequieto motu continuo circumferri, utpote qui calidissimos, & motione perpetua agitatos in corde natales habet. Hinc juvenes, qui spiritus vitales copiosiores ac vegetiores in sinu fovent, plerumque sunt alacres, inquieti, ad iram proni, & impetu aguntur: interea deteriores habent spiritus animales, & quod conse-

quitur, cognitiones necdum maturas, & sensuum actiones s^epe perturbatas eliciunt. Econtra animalis spiritus in cerebro, quod suavi frigore tranquilitateque gaudet, nati prærogativa est, pure tranquilleque lucere: unde provectionis ætatis homines ut plurimum magis pacati sunt, ad omnia intenti, circumspecti; maturiores lucidioresque habent cognitiones, & æquabili tenore *sensitivas* functiones peragunt, postquam vitalium spirituum ardor nonnihil deferbuit, & fuligo fuit abstersa. Spiritus sic depictos non fingi, sed revera existere magni momenti rationes sane persuadent. Inprimis enim ad quid tantus in extima cerebri parte vasorum adparatus, tanta arteriarum silva, tam mirabilis earum labyrinthus, nisi quod in iis, tanquam vasibus Chymicorum circulatoriis, sanguis purior ac subtilior continua percolatione fiat, & in spiritus abeat, qui per tenues surculos in medullam & cerebri partem interiore evaporantes tubolorum & fibrarum ope ulterius ad nervos promoveantur. Dein dum homo obruitur somno, aut apoplexia percuditur, sensuum functiones ac motus *spontaneus*, totaque nervorum harmonia repente sistitur, non secus ac in horologio variis rotis instruto,

cto, si perpendiculum levi manu teneas, contingere solet. Aptior explicandæ rei methodus haud esse videtur, quam quod obstructis meatibus via præcludatur spiritibus ad sensuum organa, quorum fluxione deficiente ista velut obrigescunt, & humani corporis machina languet. Quid de vertigine dicamus, dum ubi diutius in gyrum agimur, etiam firmo postmodum pede consistentibus muri, tabulatum & pavimentum circa nos adhuc circumagi videntur? quid inquam dicamus, nisi quod spiritus commoti & in vorticem acti quiescentibus licet nobis neandum quiescant, sed instar aquæ una cum pelvi prius in circulum agitatæ, suumque motum pelvi etiam deinceps immota persequentis, per longius adhuc temporis spatium velut in orbem agantur. Denique intelligi satis nequit, qua ratione rerum absentium aut præteritarum species excitentur, nisi spiritus ad phantasiam ac memoriæ officinam confluant, & rerum illarum imagines aut ipsas species sollicitatis organorum fibris eo secum abripiant.

§. III.

Regio vitalis.

XVIII.

Latius heic dominatur anima. Nam regio ista, quam medium vocant, concluditur Thorace seu spatio, cuius longitudine a jugulo ad cartilaginem Xiphoïdem seu sterni extrema, latitudo ab unius lateris ad alterius costas protenditur: superius illud claviculis, inferius diaphragmate, anterius sterno, posterius vertebbris dorsi, velut totidem limitibus geographorum more Anatomici circumscribunt. Præcipuae, de quibus hoc in loco agendum, partes sese offerunt Cor, Pulmones cum venis & arteriis.

I. Cor vitæ fons est, spirituum vitium officina, & velut primum Mobile totius machinæ corporeæ: unde *Vitalis* nomen media hæc Regio fortitur. Constat autem carne viscerum omnium solidissima, fibris in omnem partem tendentibus intertexta, & venulis, quas *coronarias* vocant, basin instar coronæ ambientibus cingitur. Hanc vitæ arcem provida natura validissime muniit; exterius quidem a spina dorsi ad os sternum geminos

nos costarum ordines velut totidem propugnacula & valla circumduxit; ipsam vero cordis Regiam in medio Thoracis collocatam nervosa quadam membrana *Pericardium* dicta conclusit, quæ totum cor abicit, & instar fossæ aquam continet, tum ut nimios cordis aut sanguinis aestus temperet, tum ne ipsum *Pericardium* nimis vicino sibi foco tostum exarescat. Et hæc forte aqua illa est, quam trajectum lancea Servatoris nostri latus fudisse S. Scriptura testatur. Figura pyramidem imitatur, ita tamen ut basis sursum erigatur, cuspis vero deorsum in sinistrum latus declinet. Ne autem vitæ organum hoc langueat, dupli *systoles*, quo contrahitur a basi ad cuspidem, & *diastoles*, quo distenditur a cuspide ad basin, motu perenni alternis vicibus agitatur. Poro in duos totum ventriculos distinguitur, septo intermedio velut pariete divisos, quorum dexter capacior & brevior, sinister autem angustior, sed longior est. In dextrum ventriculum celeberrima illa vena (*cava* nuncupatur) largo se hiatu aperit, copiosumque infundit sanguinem, quando cor motu diastoles dilatatur, quem postmodum sanguinem *arteria pulmonaria* dextro ventriculo inserta, dum per motum systoles cor contrahitur, redundan-

tem excipit, ac in pulmones diffundit, ubi
a *salino-nitrosis* corpusculis cum aere in
pulmones delatis purpureo colore ceu
murice tingi creditur. Sic purpuratus hic
liquor e pulmonibus, a cordis se denuo
dilatantis motu compressis, per *venam pul-*
monariam cordi restituitur, & continuo in
sinistrum ventriculum infusus (quando
motus systoles motui diastroles rursum suc-
cedit) in arteriam magnam sive *Aortam*
propellitur, per cujus dein ramos in totum
relicuum corpus dispensatur. Cæterum
mirabile visu! auritum cor est: nam duas
hinc & inde auriculas erigit ad utrumque
ventriculorum latus prominentes. Dex-
tra ostio venæ cavæ adsita est, sinistra
vero venæ pulmonariæ non sine magna
naturæ providentia, nimirum ut sanguine-
m per venarum ostia copiosius irrum-
pentem excipient, retineantque nonnihil,
ne uno impetu affusus cor inundet. Un-
de dum cor motu systoles contrahitur,
auriculæ dilatantur, seque implent sanguine;
dum vero illud motu diastroles disten-
ditur, in angustias coguntur istæ, exce-
ptumque sanguinem in ventriculos fun-
dunt. Ne vero irruptensis perpetuo &
expulsi sanguinis copia cordis motum &
vitam simul sistat, eadem natura mirabi-
li artificio providit de *valvulis*, quarum

undecim numerantur in corde, & ad venarum arteriarumque ostia stant dispositae: ex his quædam clauduntur prohibentes, ne quod adfusum est sanguinis, refluat in venas: quædam aperiuntur præbentes egressum in arterias. Atque ita alternis vicibus velut ad hydraulicæ leges sanguinis circuitus perficitur, de quo postea dicendi locus erit.

2. Altera pars, in thorace contenta, sunt *Pulmones*. Hos quidam vocant folles vitales, quibus dum animal spirat, aer perpetua vicissitudine excipitur, & redditur: alii cordis ventilabra adpellant, quibus illud a caloris æstu auræ recentis adflatu refrigeratur: alii cordis culcitram nuncupant, utpote quibus molliter incubat. Solertissimus Marcellus Malpighius substantiam pulmonum e membranis compositam microscopiorum ope deprehendit, immo detractis parergis eos aliud non esse, quam continuam vesicularum congeriem, per quas ultiro citroque aer commeet. Has vesiculas rete quoddam subtile ex arteriolis & venuulis contextum artificiose connectit. Non pauci Auctorum pulmonem unicum esse contendunt, sed in partes dextram & sinistram divisum, quarum quævis in alam

superiorem & inferiorem distinguatur. Colore tinguntur rubeo in foetu, in adultis vero flavescente aut cinereo: constant autem duobus, quos vocant *lobis*, & geminis alis, asperæ arteriæ truncō adnexis. In hac *aspera arteria respiratio-*
nis negotium conficitur, conservandæ vi-
tæ tantopere necessarium, dum haustus
aer follium instar alas pulmonum attol-
lit, quæ rursum in se recidentes aerem
expellunt, qui alternis ita vicibus conti-
novo in & exspiratur. Caput asperæ ar-
teriæ larynx adpellatur, & operculo car-
tilagineo instructum est *Epiglottis* dicto:
cartilago hæc intra cardines mobilis alias
erecta stat, apertumque iter aeri præbet.
At ubi cibos deglutimus, ipso deglutien-
di conatu clauditur impediens, ne quid
ad pulmones deveniat, simul & sublicii
pontis instar viam sternens cibis per al-
terum canalem asperæ arteriæ arctissime
cohærentem, scilicet *Oesophagum*, per quem
alimentum stomacho immittitur. Ex ha-
rum partium admirabili structura sane
patet, quanta in nobis ipsis non cogitan-
tibus vélut miracula circumferamus, quum
ne quidem respiremus nec comedamus si-
ne naturæ prodigo.

3. In hac secunda vitali regione eminent quoque *venæ* & *arteriæ*, seu canales illi, in quibus velut vita hominis per reliquum corpus circumfertur. Vulgo quidem eadem res est *vena* & *arteria*, non item rerum expertis, apud quos magnum inter hæc duo discrimen intercedere certum est. Nam *venæ* sunt tubi membranacei, qui sanguinem advehunt in cor: *arteriæ* vero, qui eundem a corde avehunt, & velut aquæ ductus e communi fonte ad privatorum membrorum ædes derivant. *Venæ* triplici constant tunica, *arteriæ* quintuplici. Præter hæc illud sibi peculiare habent *arteriæ*, quod palpitent & subsiliant simul cum corde, a quo motus hic illis communicatur: unde *venæ pulsatiles* quoque dicuntur, quarum pulsu rite explorato periti Machaones morborum crises facile cognoscunt. *Triplex* autem genus est *venarum*, ex quibus tanquam stirpibus plurimi per corpus rami & surculi oriuntur: *vena cava*, *vena porta*, & *vena pulmonaria*. *Truncus venæ cavae* e dextro cordis ventriculo egreditur, cui ad sanguinem in cor fundendum immersus est, distinguiturque in ascendentem & descendenter. Ex ascendentente rami majores minoresve in jugulum, caput, & ipsum ce-

cerebrum sese insinuant. Ex descendente vero alii pullulant in ilia, & ossa, manus ac pedes diffusi: circa cubiti flexum *vena mediana* nascitur, chirurgis ob venæ sectionem notissima. Venæ portæ, quæ ortum suum habet in hepate, truncus admodum brevis superius inferiusque in ramusculos seu *capillares* tubulos fere innumeros desinit. Per inferiores colligitur sanguis e subjectis membris, & in truncum hujus venæ funditur: per superiores sanguis a trunco exceptus in venam cavam promovetur ac deportatur, unde *Portæ* nomen sortita est hæc vena. Denique *vena pulmonaria*, quæ sanguinem e pulmonibus in sinistrum cordis ventriculum transvehit, brevibus admodum terminis circumscribitur; nempe nascitur in pulmonibus, & vix nata in corde moritur & evanescit. Jam vero arteriæ, quæ canales sunt tunicis crassioribus vestitæ, ne scilicet tenues spiritus in iis contenti temere transpirent, aut sanguinis impetu rumpantur, præ reliquis duæ sunt celebriores, nempe magna *Aorta*, & arteria *pulmonaria*: posterior oritur in dextro cordis ventriculo; estque illius officium, ut sanguinem a vena cava ibidem fusum in pulmones deferat, in quibus etiam post brevem ambitum fini-

finitur. Prior vero *Aorta*, cuius trun-
cus, postquam e sinistro cordis ventriculo
egressus est, in ascendentem & descen-
dentem dividitur, & utrobique in duos
grandiores alveos sese diffundit ad dex-
trum & sinistrum, in manus & pedes;
minoribus etiam alveis in caput & alia
membra excurrentibus. Cæterum indi-
vidua venæ cavæ comes est, cuius ra-
mis ita suos substernit, ut ejus vestigia
perpetuo premat, nec ullibi arteria exi-
stat, cui sua vena non respondeat, nec
vena insignior, cui sua non subjiciatur
arteria. Hinc in libris Anatomicis vena
cava & aorta delineatæ velut arborem,
quali Genealogica utitur, referunt, trunco
in ascendentem & descendenter cum in-
numera ubique ramorum propagine di-
viso.

4. Sanguinis motus, quem quidem
nemo unus inficiari ausus est, qua autem
ratione fiat, ingentes in Veterum & Re-
centiorum scholis motus priori maxime
seculo excitavit, illis sanguinem in arte-
rias totumque corpus ita dispensari, ut
nunquam ad antiquam stationem redeat:
istis vero motu *Cycloeos* sanguinem a
corde in arterias effusum per venas in
cor revchi acerrime contendentibus. Bel-

li hujus erudit exitus fuit, quo devicti
Veteres merito Recentioribus tanquam
victoribus palmam cedere coacti sunt.
Primus qui circuptionis systema mundo
exhibuit vel Guilielmus Harvejus fuit
anno 1640, vel P. Honoratus Fabri S. J.
qui biennio ante in Gallia hanc se do-
ctrinam proposuisse perhibet: forte in-
fantiam nobilissimi hujus inventi Hono-
rato, Harveio ejus etatem virilem de-
bemus. Systema est hujusmodi: dum
cor motu diastoles dilatatur, vena cava
sanguinem fundit in dextrum cordis ven-
triculum: dum vero motu systoles con-
trahitur, per arteriam pulmonariam san-
guis in pulmones devehitur: pari ratione
ope motus diastoles e pulmonibus per
memoratam venam sanguis in sinistrum
cordis ventriculum submittitur, e quo
succedente systoles motu per aortam ex-
pellitur, indeque per arteriarum ramos in
totum corpus distribuitur. Tum vero per
ramorum istorum *capillares* arterias par-
tium in carnem extrusus nutrimento ser-
vit, partim per venas *capillares*, quod re-
siduum est, resorbetur, & in venas ma-
iores (præsertim venam Portæ) transmis-
sus tandem in cavam illabitur, e qua rur-
sus ad cor ceu fontem, unde egressus erat,
transfertur, novo ibidem calore vigore-
que

que restaurandus : atque ita totum circuptionis vel ut vocant Medici, *circulationis* negotium absolvitur. Qua vero ratione absunto in carnem sanguini novus continuo succedat, sequens docebit paragraphus, ubi de nutritore facultate dicendi locus erit. Interim Cycloſin hanc fere demonstrant gemina veritatis fulcra, ratio & experientia. Ratio petitur e sanguinis copia. Nam ut peritissimi Hippocrates ævi prioris & nostri observarunt, in plerisque animantium pulsus cordis intra horæ unius spatiū ultra 3600 (ut ipsi quoque ad horologii *minuta secunda* pulsantis indicem experti sumus) numerantur. Ad singulos autem pulsus, uti rursus Anatomici e secta prope arteria deprehenderunt, ad minimum unus sanguinis *scrupulus*, atque ita intra horam plusquam decem libræ, intra viginti quatuor vero plusquam libræ 104 motu systoles in arterias trajiciuntur : hoc autem fieri non potest, nisi idem sanguis eandem sapientiam viam relegat. Nam si novus semper sanguis succedat priori per poros exspiranti, ut ajunt, aut partibus adgenerato, quæ culina sufficiet ad tantam ejusdem copiam intra viginti quatuor horas excoquendam ? quis Heliogabalus tot libras quotidie devorabit

in sanguinem vertendas ? quam enorme evadet post aliquot dies tot librarum pondus, quum homo etiam maxime carnosus & Crassus *pulvinaria secum gestans* vix 200 libras ponderet ? igitur patet, easdem sanguinis guttas cycloseeos motu repetitis vicibus infundi per venam cavam , refundique per aortam oportere , ac ex arteriis in venas trajici , per quas ad antiquum fontem, nempe cor, redeant denuo in arterias transfundendæ. Rationi suffragatur experientia. Quando phebotomia instituitur , brachio vincula injiciuntur supra eum, ubi vena aperienda est, locum, & venæ incipiunt absque mora intumescere, qua via dicit ad manus : detumescere vero , qua humeros versus itur. Sed unde hic effectus ? nisi quod sanguis ab extremis partibus per venas ad cor rediens sistatur ? hinc vena infra ligamen turgescit ; in superiore vero venæ parte sanguis iter suum persequitur. Hinc vena, alio sanguine in æquali mensura non succedente, supra ligamen instar vesicæ emissæ aere concidit : saepe etiam animi deliquium sequitur, quia retardato sanguinis cursu hic frigidior evadit, & postlimino in cor rediens insolito illud horrore percellit , quo vel ipsi spiritus vitales correpti, dum ad cor

fovendum concurrunt, cerebrum desti-
tuunt materie, e qua animales formen-
tur, atque ita his deficientibus sensuum om-
nium officinæ feriantur.

§. IV.

Regio Naturalis.

XIX.

E media hominis regione in infimam contignationem descendimus, nempe in naturalem, seu sedem vegetanti ani-
mæ destinatam. Complectitur hæc par-
tes tum nutrienti tum generanti facul-
tati servientes. De his differere uti Me-
dicum cogit necessitas, ita me prohibit
honestas. Igitur de illis solum pauca
proferam in medium. Sunt autem hæ
partes præcipuæ: Hepar seu jecur, ven-
triculus, lien seu splen, renes, intestina
sive viscera cum mesenterio, quas ordi-
ne exponam.

1. Hepatis substantiam ex minimis
lobis ac glandulis ferme infinitis conte-
xtam esse, ac speciem botri e pluribus
acinis conglomerati referre Malpighius
microscopio deprehendit. Patria illi se-
des in dextro est hypochondrio, vicina-

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. X. G que

que ventriculo extrema parte leviter in-
cumbit, & incumbendo ejus calorem fo-
vet. Varia est illius in homine magni-
tudo, quæ tamen absque hariolatione e
manu potissimum conjicitur. Quippe la-
titudo hepatis manus longitudini, longi-
tudo vero interioris ac concavæ manus
superficiei ferme ex æquo respondet. An-
teriore sui parte, qua tegumenta respi-
cit, in gibbum intumescit, superficie ad-
modum lævi: posteriore autem, qua ven-
triculi dexteram partem ambit, cavum
est. Colore gaudet rubicundo in iis, qui
integra sanitate fruuntur, quem affundit
sanguis. Hepati adhæret vesicula fellis
seu vasculum e membrana, parvi pyri
figuram referens, e quo velut naturæ
deposito bilis, quæ in hepate secernitur,
per meatum biliosum assidue ad intesti-
num pellitur, idque instar naturalis cly-
steris ad excrementorum ejectionem ex-
stimulat. Venis illustrioribus binis gau-
det, cava & porta, de quibus supra jam
differui. Veteres hepar culinam esse
existimabant hæmatosi seu sanguini co-
quendo destinatam. Verum Recentiores
præcipuum illi officium biliosi humoris a
sanguine secernendi tribuunt communi
calculo.

2. Ventriculus quasi parvus venter sub diaphragmam lienem inter & hepar medius est. Figuram induit oblonge rotundam. Illius fundus quasi specus est sub terra latens, & alimenti penuaria cella, in qua diutius istud moratur. Duobus hiat ostiis: sinistrum stomachus dictum amplius est & crassius, ut cibis etiam non probe mansis aditum praebat: dextrum seu *pylorus* vel janitor, angustius est, manetque tamdiu fere clausum, donec cibus in cremorem & substantiam fluidam mutatus per partes abeat in intestinum. Porro ventriculus ex ore cibos admittit per magnum canalem *Oesophagum*. Illud profecto mirabile, vacuum ventriculum in eas redigi angustias, ut in homine pugno major non sit; cibis vero & potu infartus adeo turgescat, ut integrum fere congium (tres mensuras vocamus) vini aut aquae cum una alterave cibi solidioris libra capere possit. Cætera primarium est chyli conficiendi instrumentum, fitque in eo prima ciborum coctio, *chylosis* dicta, non ut veteres credebant per calorem stomachi, licet hic quoque opem ferat, sed per humorem, quem *Gastricum* Recentiores appellant, compositum ex particulis salsis, acidis & corrodentibus, qui instar aquæ

fortis cibos dissolvit. Stomachi magnitudinem quidam ex oris latitudine metiuntur: hinc natum esse videtur proverbium, quo helluonibus dicere solemus, *majus iis os, quam stomachum esse.*

3. Lien e regione hepatis ventriculum inter & costas situs est: substantia ejus tota membranacea est, & infinitis pene cellulis tanquam alvearii distincta, ut eam primus observavit insignis ille viscerum vestigator Malpighius. Linguæ formam præfert rubei coloris in fœtu: in adultis ex atro purpurei. Quo autem munere fungatur lien in hac infima regione naturali, non conveniunt Auctores. Quidam omni officio peculiari exunt illum, & e senatu reliquarum partium expungunt, ita persuasi, quod illo licet exciso, præsertim canes, vegeti sint & bene valentes, quod ipsum aliqui de hominibus testantur: alii melancholiæ sedem esse volunt: demum alii melius sentire videntur, qui vas hoc percolando ac singulari ratione præparando sanguini destinatum esse opinantur, id quod tot arteriarum, venarum, nervorum & cellularum in hanc partem non otiosa congeries indicat. Insignis subtus ventriculum glandula *Pancreas* dicta emergit, du-

etu quodam, quem Patavii Virsungus natione Bavarus invenit, instructa, per quem e glandula isthac succus quidam modice limpidus & acidus salivæ instar in *duodenum* subvehitur, qui una cum bile meliorem chyli substantiam efficit, fluidamque reddit.

4. Renes gemini sub hepate ac liene lumbos versus collocati anteriore corporis parte intestinis obreguntur, semilunaris formæ, colorisque obscure rubicundi. In hos sanguis per arterias *emulgentes* delatus partem humoris ad eorum nutrimentum relinquit: in glandulis vero rerum deponit serum inutile, quod per tubulos destillat in *pelvem*, ac inde per *ureteres* in vesicam deturbatur.

5. Intestina canales sunt ex membranis compositi, intus cavi a pyloro ad imam ventris producti, partim ut chylum excipient, partim ut fordes foras evehant. Re ipsa unum est Intestinum continua serie convolutum & in spiras collectum, quod tamen ob varios usus in varias quoque partes Medici distinguunt, non secus ac Geographi eandem tellurem in regna, provincias, ditiones, diversaque pro diversis officiis nomina iis imponunt. Celebris est divisio Intestini in

gracilia & crassa, e gracilibus primum est *duodenum*: secundum *jejunum*, pluribus gyris intortum: plerumque si secetur vacuum apparet, quia heic bile ac succo pancreatico confluentibus partes puriores ab impuris celerrime segregantur, & vasorum lacteorum ingens copia magnam chyli portionem absorbet: tertium *Ileum* seu *Volvulus* viginti duos palmos, si extendatur, facile longum. E crassis intestinis primum est *cæcum*, quod ita nuncupant propter obscurum quem habet usum, & quod una duntaxat parte instar sacci pateat. Alterum *colon* ex omnibus amplissimum, octo vel septem palmos longum. Hoc fæculentis partibus destinatur compluribus cellulis proptererea instratum, estque sedes terminum. Postremum denique *rectum*, quo fæces foras amandantur. Cæterum Intestina motu agitantur *peristaltico*, seque continuo movent instar lumbrii repentis, tum ad chyli substantiam in venas lacteas, tum ad excrementa foras promovenda. Licet autem extracta sexies circiter hominis staturam superent, in orbem tamen colligantur omnia a membrana *Mesenterium* dicta, & vix unum palmum æquante, quam innumeræ venæ lacteæ percurrunt, quas Casparus Aselius, Anatomicus celebris, an. 1622. detexit.


6. Jam ut nutricationis historia palam fiat, brevissime explicandum est, qua ratione cibus in chylum, chylus in sanguinem, sanguis in carnem post varias metamorphoses convertantur. Transitum cibi in chylum hoc modo contingere verosimum est. Primo, cibus mandendo in ore preparatur. Hinc dentium varietas: quatuor medii *Incisores*, qui scindunt; duo his succedentes ex utraque parte *Canini*, qui quod priores scindere non valent, acumine suo frangunt; reliqui *Molares*, qui cibos, veluti lapides in molendino grana frumenti lente conterunt. Secundo, prolicitur e glandulis per os, œsophagum, & ventriculum dispositis saliva, cui vis dissolvens inest. Tertio, chylosis incipit in ventriculo, humoris gastrici & caloris auxilio. Hinc contingit, ut si ventriculus ob infirmitatem par non sit coquendis cibis, crudi ex alvo defluant. Quarto absolvitur chylosis in gracilibus intestinis, ut pote in quæ bilis & succus pancreaticus, ut dictum est, confluunt, quorum opera chyli massa prorsus digeritur ac resolvitur. Atque hæc prima cibi in chylum seu albicantem materiam metamorphosis est.



Altera chyli in sanguinem fit, dum primo chylus jamjam perfectus ex intestinis promovetur in venas lacteas per mesenterium dispositas, quæ vasa in animali etiamnum vivente, si post pastum venter dissecetur, humore albo referta, ut ipsi vidimus, manifeste adparent, quamvis extincto illo brevi iterum dispareant. Secundo, e venis lacteis defertur in commune receptaculum, quod ab inventore *vas Pequetianum* appellatur, & in lumbis prope renes situm est: in hoc etiam humorum suum exonerant vasa lymphatica, ut novum melioremque adhuc chylo saepius percolato, jamque valde subtili fluxum concilient. Tertio, chylus his lymphis irrigatus per ductum thoracis evanescitur sursum in venam *subclaviam* seu *axillarem* sinistram, in quam admittitur per valvulam, quæ liberum præbet accessum, simul & recessum prohibet: res hæc multis pulcherrimisque illustrata experimentis hodie satis certa est. Quarto, denique e vena *subclavia* in venam cavaam, & ab hac in cor, quod vera sanguinis patria est, funditur eo, quem jam memoravi in §. de corde, modo elaborandus, & nobilissimi liquoris prærogativa donandus. Qua denique ratione sanguis in carnem, & alias quæ vivunt partes abeat

(qui

(qui ultimus nutricationis terminus est) ex iis, quæ de sanguinis cycloſi diximus, manifestum fit, dum nempe sanguis jam nonnihil defœcatior ab arteriis per *capillares* tubulos in vicinam carnem, aut alias partes distillat & defudat ac demum & ipſe in carnem abit. Atque ita totum nutrientis facultatis negotium, simul & infimæ regionis naturalis, quantum ad præſens institutum pertinet, historia in compendio absolvitur.



CAPUT V.

TEMPERAMENTUM.

§. I.

Temperamenti Indoles, & Indicia.

XX.

Lustrata per iter satis longum humani corporis fabrica temperamentum illius investigare juvat, quod in diversis hominibus diversum esse solet, & a quo non solum sani aut ægri corporis ratio, verum etiam hujus commercium cum anima plurimum pendet. Temperamen-
G 5 tum

tum autem, quod a Græcis nuncupatur *Kræticæ*, antiquiores Medici constituebant in proportione quatuor primarum qualitatum, Recentiores vero in motione partium fluidarum, & relaxatione contraktionequæ solidarum, per quas fluidæ promoventur. Ut suum cuique tribuatur systemati, nosse oportet, quodlibet corpus mixtum e quatuor elementis compositum esse: aere, aqua, terra, & igne; qua in re facile utraque pars convenit. Atque his Veteres quatuor temperamenta respondere docuerunt, uti canit scho-
la Salernitana:

*Quatuor humores in humano corpore
constant;*

*Sanguis cum cholera, phlegma, me-
lancholia.*

*Terra melancolicis, Aqua confertur
pituitæ,*

*Aer sanguineis, ignea vis chole-
ra. (d)*

Porro cuilibet horum elementorum propriam tribuebant qualitatem: aeri quidem humorem, frigus aquæ, terræ siccitatem, calorem igni, in quarum qualitatum pro-
por-

(d) *Cap. 87.*

portione collocabant rationem temperamenti, cuius novem differentias constuerunt. Nam aut æqualis est omnium qualitatum proportio, eaque fundat justum legitimumque temperamentum, quod est veluti norma reliquorum: aut inæqualis, idque rursus duobus modis. Nam vel unica est qualitas excellens, tribus moderate se habentibus; indeque emergunt quatuor simplicia temperamenta, *Sanguineum, Melancholicum, Phlegmaticum, Cholericum*, ita ut in primo excellat humor, in secundo siccitas, in tertio frigus, in quarto calor: vel summum duæ prævalent reliquis duabus, unde denuo oriuntur quatuor alia temperamenti genera, quæ composita dicuntur: *Sanguineo-cholericum, cholericoo-melancholicum, melancholico-phlegmaticum, phlegmatico-sanguineum*, ita ut prævaleant in primo humor & calor, in secundo calor & siccitas, in tertio siccitas & frigus, in quarto frigus & humor. Ita satis ingeniose Antiquiores Medici, quos lecuti sunt quoque Philosophi. Verum Recentiores huic proportioni seu arithmeticæ seu geometricæ non acquiescentes distinguunt inter temperamentum corporis organici & non originaci. Posterius consistere docent in quatuor elementis, eorumque mistura; prius ve-

ro ut dixi, in motione partium fluidarum, præcipue sanguinis, & relaxatione contractioneque solidarum. Neque contemnendas hujus suæ opinionis rationes adducunt. Quippe apud cholericos sanguis calidus & subtilis, quum celerius per cerebrum ejusque tunicas impellitur, animam veluti incitat ad celeres & præcipites actiones, ad iram, audaciam, temeritatem, contumelias, seditiones & homicidia. Apud melancholicos sanguis spissus & gravis, motu multum impedito transmissus torpore suo inclinat phantasiam ad imagines his motionibus convenientes, ad vecordiam, tristitiam, diffidentiam, suspicionem, desperationem &c. Apud sanguineos fluidi limpidique humores per venas & arterias, præsertim capitis, inoffenso pede meant, redduntque homines curis vacuos, mansuetos, assabiles; unde plerumque sunt inconsulti, de futuris parum solliciti, & remissi, simulque læti ac hilares. Apud phlegmaticos, quorum sanguis aquosus, atque ob spirituum defectum lentius quam oportet, incedens adfert pigritiam, somnolentiam, timiditatem, lentorem, functionesque omnes plurimum retardat.

XXI.

Sed jam ad singula temperamenta consideranda nos convertamus. Sangineum a sanguine dicitur. Est autem sanguis, græce ἀίμα, humorum facile præstantissimus, vel quod sit materia spirituum, a quibus vitæ actiones pendent, vel quod instrumentum sit motioni vitali aptissimum, utpote natura sua calidus & humidus; vel certe quod præcipuus ejusdem usus sit, ut nutriat. Ex eo enim, ut multis in locis testatur Galenus, omnes corporis partes etiam minutissimæ nutrimentum hauriunt, quoque affatim aut prodige effuso morbi & mors ipsa propediem sequitur. Unde Moses (e) afferere non dubitavit, *animam omnis carnis in sanguine esse*, ac si diceret, sanguinem esse vehiculum vitæ; immo ipsam quasi vitam: nam anima Hebræis non raro vitam significat. Temperamenti hujus dotes prædit schola Salernitana sequentibus versiculis: (f)

Natura pingues isti sunt, atque jocantes,

Rumoresque novos cupiunt audire frequenter,

Omni-

(e) *Levit.* 17. (f) *Cap.* 88. § 92.

Omnibus bi studiis babiles sunt & magis apti :

Qualibet ex causa non bos facile excitat ira.

Largus, amans, bilaris, ridens rubeique coloris,

Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

Vitia vero, si nimium prævaleat sanguis, ita describit :

Si peccet sanguis, facies rubet, existat ocellus,

Inflatur genæ, corpus nimiumque gravatur,

Estque pulsus frequens, plenus, mollis, dolor ingens

Inprimis frontis, fit constipatio ventris,

Siccaque lingua, sitis, sunt somnia plena rubore,

Dulcor adest sputi, sunt acria dulcia quæque.

Cholericum temperamentum nomen suum fortitur a *χολή*, quæ appellatio communis est duobus præcipue humoribus, quorum alter, qui calidus & siccus est, ab aureo colore flava bilis dicitur, unde cholericum temperamentum oritur: alter qui frigidus & siccus, quoniam nigræ favillæ colorem imitatur, atra bilis vocatur, e qua temperamentum melancholicum originem suam ducit. Generatur autem bilis in hepate, ibidemque cum sanguine miscetur. Pars ejus apta est ad nutriendum, nimirum ea, quæ cum sanguine miscetur in venis, tum ut ille hoc veluti vehiculo commodius penetreret in venas exiliores, tum ut alat partes naturæ suæ affines, hoc est, calidas & siccias. Dein munere suo functa, quod reliquum est, una cum sudore foras expellit per poros. Altera pars excrementi quoddam genus est, & a sanguine expurgata in vesiculam bilis jecori subiectam, atque inde per proprium meatum *duodeno* insertum in intestina delabens, postquam pituitosus fæces ab iis absterrit, alvum stimulat ad dejicienda excrementa, quæ suo etiam colore tingit. Cholericum hoc temperamentum ita depingit schola Salernitana: (g)

Et

(g) Cap. 89. & 92.

*Est humor cholera, qui competit im-
petuosis.*

*Hoc genus est hominum cupiens prae-
cellere cunctis.*

*Hi leviter discunt, multum comedunt,
cito crescunt :*

*Inde & magnanimi sunt, largi, sum-
ma potentes.*

*Hirsutus, fallax, irascens, prodigus,
audax,*

*Astutus, gracilis, siccus, croceique
coloris.*

Indicia vero dominantis cholerae affert se-
quentia :

*Accusat cholericam dextræ dolor, aspe-
ra lingua,*

*Tinnitus vomitusque frequens, vigi-
lantia multa,*

*Multa fitis, pinguisque egestio, tormi-
na ventris.*

*Nausea fit, morsus cordis, languescit
orexis;*

Pulsus

*Pulsus adeſt gracilis, durus, veloxque,
caleſcens.*

*Aret, amarescitque, incendia, ſomnia
fingit.*

Phlegmaticum temperamentum derivatur a græco Φλέγμα, quod Latinis pituita dicitur. Humor iste in prima ciborum mutatione generatur teste Galeno: colore autem albus est, & concoctione in sanguinem mutatur. Quapropter quum sit veluti media jam parte coctum nutrimentum, nullum quod pituitam expurget, proprium natura instrumentum machinata est. Nam pituita in ventriculo generata, dum circumfertur cum iis, quæ ex cibi potusque humoribus in jecur distribuuntur, una quoque cum his in sanguinem transit. Illud vero quod in intestinis relinquitur, a bile ex jecore in ea defluente abſterſum commodissime ac celerrime per alvum emittitur. Temperamenti hujus indolem cognoscere licet e schola Salernitana. (h)

*Phlegma dabit vires modicas: latosque
brevesque*

Phlegma

(h) Cap. 90. & 92.

*Phlegma facit pingues, sanguis reddit
mediocres.*

*Otia non studio tradunt, sed corpora
somnia.*

*Sensus hebes, tardus motus, pigritia,
sommus.*

*Hic somnolentus, piger & sputo cre-
briore,*

*Est huic sensus hebes, pinguis, facie
color albus.*

Judicia vero redundantis pituitæ :

*Phlegma supergrediens proprias in cor-
pore leges*

*Os facit insipidum, fastidia crebra,
salivas,*

*Costarum, stomachi, simul occipitis-
que dolores.*

*Pulsus adest varus, tardus, mollis, quo-
que inanis,*

*Præcedit fallax phantasmata somnus
aquosa.*

Quartum denique temperamentum seu
Melancholicum atra bilis progignit, quæ
vel-

veluti fæx est & sedimentum sanguinis ; ideo colore, quod nomen satis indicat, nigra. Hæc autem si cum Galeno exquisite loqui velimus, nondum atra bilis nominari debet , sed melancholicus humor. Necesse vero est, ab hoc humore expurgari corpus, ad quod munus aptum natura instrumentum lienem condidit , qui si minus quam oportet , humorem melancholicum ad se trahit , sanguis fit impurior , totumque corpus decolor redditur. Unde perspicuum est, eum humorem in jecore generari, a quo tandem in lienem transfertur. Uſus autem atræ bilis proprie dictæ teste Galeno (i) est , ut ventriculi actiones juvet ac promovereat. Quippe hunc, quum acerbis & acidus sit humor ille, intendit, atque in ſe ipsum contrahit, cibosque retinere cogit , uſque dum plene perfecteque concoquantur. Virtutes & vitia temperamenti melancholici descripta reperiſt̄ ēt in ſchola Salernitana. (k)

*Reſtat adhuc tristis choleræ ſubſtantia
mira,*

Quæ

(i) *Lib. 5. de uſu part. hum. corp. C. 4.*

(k) *Cap. 91. & 92.*

*Quæ reddit pravos, pertristes, pauca
loquentes.*

*Hi vigilant studiis, nec mens est dedi-
ta somno.*

*Servant propositum, sibi nil reputant
fore tutum.*

*Invidus & tristis, cupidus, dextræque
tenacis,*

*Non expers fraudis, timidus, luteique
que coloris.*

**Prognostica vero peccantis melancholici
humoris :**

*Humorum pleno dum fæx in corpore
regnat,*

*Nigra cutis, durus pulsus, tenuisque
urina,*

*Sollicitudo, timor, tristitia, somnia
tetra,*

*Concescunt ruetus, sapor & sputaminis
ambo.*

*Lævaque præcipue tinnit vel sibilat
auris.*

Atque ex hactenus allatis Salernitanæ scholæ placitis & aphorismis ligato pede, licet admodum claudio, incidentibus, quibus ætas illa mire delectabatur, facile cuivis erit, in temperamenti sui notitiam pervenire; quæ res plurimum confert tum ad prospiciendum sanitati, tum ad animi affectiones intra limites retinendas. Nosse tamen oportet, nec omnia nec singula e memoratis seu effectis seu indiciis convenire singulis hominibus, quum in plerisque mixtum esse soleat temperamentum.

§. II.

Vis & virtus temperamenti in functiones corporis & animæ.

XXII.

Pauca heic afferam in medium de vi, quam in corpus exercet temperamentum: plura de virtute, qua ipsam animam seu ad virtutes seu ad vitia inclinare novit. Ad corpus quod adtinet, pluri mi a temperamento morbi proveniunt. Ita non raro Cholerici ob vehementem sanguinis motum proni sunt ad febres, ad gangrænam præsertim in tunicis cerebri, ad pleuritidem, ad inflam-

mationes quas vocant, hepatis, stomachi, viscerum & splenis, ad vomitus sanguinis, ad cholicam, hecticam, & morborum tristem appendicem, scilicet podagram. Melancholici ob densi nimiumque crassi sanguinis vitium morbis chronicis, hypochondriæ, scirrho hepatis, lienis, & mesenterii, scorbuto, calculo, chiragræ, venæ aureæ, cachexiæ, hæmorhoidum fluxui ut plurimum sunt obnoxii. Sanguinei ob abundantiam mollietiemque hujus humoris non raro labrant *inflammationibus* pectoris, pulmonum, hepatis, polypo, plethora, febribus, apoplexiis, catarrhis, suffocationibus. Phlegmatici ob sanguinem valde humidum frigidarum calidarumque fluxionum, rheumatum, colicæ, dysenteriæ, hydropsis, gangrænæ periculis non infrequentibus sunt expositi. Horum tamen omnium morborum caussa duntaxat remota est temperamentum, proxima vero affectiones sanguinis, ejusque motio male constituta.

XXIII.

Jam vero, quod magnam quoque vim in animam exerceat temperamentum, nemini dubium esse potest, consideranti, e duabus hominem partibus compo-

poni, anima scilicet *spirituali, immortali, indivisibili*, tribus prædita facultatibus memorandi, intelligendi, volendi: & corpore *materiali, corruptibili*, tanquam *china organica* ad leges Staticæ efformata, variisque ad motus vitæ convenientes instrumentis instructa, quas inter geminas partes, licet adeo diversas, grande tamen commercium intercedit. Placuit enim supremo Conditori Deo, ut & corpus ab animæ operationibus, & hæc ab illo in multis dependeat. De vi animæ agendi in corpus clarum præbet testimonium motus membrorum, qui ad imperium illius hoc vel illud cogitantis volentisque consequitur, uti motus manuum, pedum, capitis, &c. quin & videmus, quod ejusdem animæ cogitationes a vero abludentes, falsaque persuasions, aliquique pravi affectus post se trahant insuetos & inordinatos in partibus etiam solidis motus, quemadmodum in iracundis, amantibus, melancholicis, desperatis, &c. Ex altera vero parte sanguinis & humorum in corpore motiones illæ, quæ a caussis naturalibus, præsertim aere, cibo, potu, & agitatione corporis oriuntur, multas diversasque in anima producunt impressiones atque imagines. Qua vero ratione operatio

spiritualis substantiae in corpus, & operatio rerum corporearum in animam ejusque facultates, memoriam, intellectum, voluntatem, fiat absque adminiculo materiae per motiones partium solidarum & fluidarum, haec animam, quae merus est spiritus, inclinare determinareque possint, mysterium est soli Deo naturae auctori cognitum, & intelligentiae humanae fines longe transgrediens. Duæ autem potissimum viæ patent ad animam in suis potentiis dirigendam inclinandamque. Prima est ope sensilium imaginum & idearum, quae hominis animo per educationem, informationem, ac consuetudinem inseruntur, e quibus multum prudenter, dexteritas, bonique mores pendunt. Altera est per corporis organa, & partes fluidas diversis motionibus veluti libratas, ad quod Hippocrates pridem advertit. (1) *Multum interest, inquit, quo in corpore collocetur anima, cum multa in eo sint, quae intellectum acuere aut habetare possint.* Profecto, qui raro, spiritibus divite, celerique sanguine gaudent, res quaslibet prima fronte percipiunt, inventi feliciter, & magna cum facilitate proponunt; egregio pollent ingenio, & ad scientias sunt aptissimi: quorum

vero

(1) *Lib. I. de diat. §. 2.*

vero sanguis densus, gravis & latus, non ita sunt ingenio prompti, plus tamen acuti, & magis in arcana penetrant, valentque judicio, ac diligentia patientiaque difficultates quaslibet vincunt. Inde quoque fit, ut Melancholici sint prudentes ac sapientes, sanguinei præstent memoria, cholerici judicio. Ex hoc fonte oritur etiam diversa diversorum hominum habilitas ad bonas artes & scientias. Melancholici præ cæteris apti sunt ad eas, quæ multum meditationis & industriæ requirunt, uti sunt *Mathesis, Philosophia, Theologia, Jurisprudentia, Consiliorum & Tribunalium administratio*: Cholerici ad illas, quæ corporis & animi exercitatione necesse habent, quemadmodum disciplina militaris, disputatio, molitio novæ doctrinæ, librorum scriptio: Sanguinei sunt expediti ad varias linguas addiscendas, ad historiam, geographiam, conciones & sermones: Phlegmatici fere ad nihil, nisi ad opificia & opera rustica adhiberi cum decore poslunt. Præterea ex temperamenti notitia habilitatem ad officia reipublicæ metiri licet. Melancholica indoles servit consiliis, judiciis, & dicasteriis. Cholerica legationibus, bello administrando, docendo e cathedris publicis. San-

guinea vitæ aulicæ, rebus politicis, concionibus, informationibus. Phlegmatica servilibus muniis, & militiae gregariæ. Non solum autem animi dotes, sed & vitia e temperamento pendent. Nam in Cholericis deprehenduntur saepe affectiones vehementiores, quales sunt superbia, laus propria, ambitio, vindicta, ira, pertinacia, crudelitas: in sanguineis affectiones nimium molles, uti sunt oblectationes sensuum, voluptatum & illecebrarum venationes, lusus immoderatus, prodigentia: in phlegmaticis & melancholicis affectiones tristes, & humanæ societatis inimicæ, ut invidia, avaritia, vecordia, molestia, quam & sibi & aliis creant, fuga societatis, timor, suspicio. Quin & virtutes ac vitia diversis ætatibus convenientia temperamenti ratio secum trahere solet. Nam in juvenibus hinc animi candor, injuriarum oblivio, liberalitas, mansuetudo, illinc voluptatis studium, deliciarum amor, petulantia, temeritas regnat. In viris laboris patientia, morum honestas, constantia & fortitudo; sed quoque non raro ira, vindictæ cupiditas, audacia, divitiarum aviditas, & ambitio dominantur. In senibus plerumque prudenter, consilium, providentia: non minus avaritia, sordities, suspicio, & impatiens

tiens animus, ac pertinacia. Nam sanguis in juventute fluidus est, & blande circumagit: in virili ætate fervens, & cum impetu propellitur: in senectute densus, frigidus, & lento gressu incedit.

XXIV.

Cætera temperamentum hucusque descriptum multis nec levibus obnoxium est mutationibus. Et primo quidem sæpe mutatur cum ætate, ut paullo ante diximus, cuius rei ratio ulterior est, quod penes ætatem teneram, qualis est infantium & adolescentium, fibræ ad sanguinis motum necessariæ molles adhuc & humidæ, quin & ipse sanguis humoresque reliqui fluidi ac temperati sint: in juvenili vero ac virili ætate major spirituum vitalium copia reperiatur, acriores humores, sicciores fibræ, magisque tensæ, ita ut sanguis & humores illi fortius circumagantur ac propellantur. Apud senes contra fibræ nec amplius flexiles, parum roboris & spirituum, densique humores, eorumque lentus admodum progressus inveniatur. Præter ætatem plurimum etiam ad temperamenti metamorphosin consert Clima, id est, aer & indoles regionis, quam quis inhabitat. Animadverterunt rem hanc veteres quoque

que Scriptores, Vegetius, (m) Curtius, (n) Polybius, (o) maxime Aristoteles (p) dum ait: *Bona constitutio aeris non solum prodest corpori, sed & ingenio, & si contra accidit, debitum temperamentum tam corporis quam animi corrumpitur.* Et certe aer est quasi spiritus quidam, per quem corpus animatur, & membris vigor ac motio conciliatur; præsertim æther, qui nervis, fibris & muscularis se le insinuat, eosque commovet. Unde aer serenus, tenuis ac temperatus tacitam lenemque sanguinis fluxionem promovet: frigidus & crassus addensat humores, partibusque solidis rigorem inducit: nimium tenuis, calidus & subtilis humores subtrahit, exsiccat fibras, & corpus enervat: turbidus & gravis reddit humores abundantes, impuros lentique motus. Illustrat rei hujus veritatem exemplis e diversa populorum indole de promtis Vitruvius: (q) Nimirum populi versus Septentrionem proceræ sunt staturæ, colore albi, crine rubri, cœruleis oculis, multo sanguine humido præditi, cujusmodi sunt Sueci, Dani Finländi, Norwegi, Russi, Lithuani, Angli & Sco-

(m) Lib. 1. Cap. 2.

(n) Lib. 8.

(o) Lib. 4.


(p) Probl. 4. §. 6.


(q) Lib. 6. Cap. 1.

Scoti. Qui autem versus meridiem sub Zona horrida degunt, ob solis æstum parva circumferunt corpora, fulcum colorē, crines crispatos, nigricantes oculos, coxendices macros, cujusmodi sunt Africani, Arabes, Persæ, Barbari, Ægyptii. Qui in Zona temperata vivunt, staturæ mediocris sunt ac justæ, coloris ex albo & rubro misti, vividis oculis, crine album inter & nigrum, membris fortes & succo pleni, quemadmodum Germani, Hispani, Græci, Hungari, Itali, Galli ac alii Europæ incolæ. Non minus aliqua inter populos Orientales & Occidentales diversitas est: priores enim utuntur aere sicco & raro: posteriores densiore humidioreque. Quare Chinen-ses acri ingenio summeque politico, Hispani gravi ac seria indole gaudent, &c. Fateri quoque oportet, non parum referre ad temperamentum, quo quis alimento utatur: hoc si durum, crassum, crudum fuerit, sanguinem propignit densum ac tenacem; atque ita homines robustos quidem, minus tamen ingenio valentes reddit: cibi tenues, bene cocti sanguinem subministrant spiritibus referatum, & acre ingenium: cibi pingues, ut lac & butyrum homines molles pingue-que faciunt. Par est ratio potus: vi-

num

num, potus calidi The, &c. vinum adustum, fortes liquores, aqua & cerevisia diversos in corpore humano effectus producunt. Partem quoque aliquam in Temperamento sibi vendicat vitæ ordo, statum aut vagum tempus prandii ac cœnæ, somni, studii, laboris, relaxationis animi, medicinæ, præsertim phlebotomiæ. Postremo demum nosse oportet, quam veritati consentanea sunt, quæ hucusque de Temperamenti indole ac viribus allata fuerunt, quamque utilis ac vix non necessaria est illius notitia sanitatis propriæ studio, tam vanum esse, velle certam & falli nesciam morum regulam ex temperamenti sinu depromere. Multum enim mutare potest in utramque partem, cohibere, emendare aut perturbare educandi ratio, informatio, consuetudo, maxime vero dominium sui ipsius, & vera virtus.





CAPUT VI.

MEDICUS SUI IPSIUS, SEU DIÆTA.

§. I.

Diætæ commendatio, & vis.

XXV.

Non est aut fori mei aut instituti, vendicare mihi munus Medici, eamque partem tradere, quam in aliorum corpora exercent isti pro potestate; aut medendi regulas, ipsaque medicamenta ægrotis salutifera præscribere: absit. Ea solum in medium proferam, quæ & diligenti rerum harum lectione percepī, & propria experientia didici, scilicet qua ratione quivis, præsertim qui studiis publicisque functionibus in literaria republi-
ca sunt nati ac destinati, sanitatem suam adversus morbos tueri, intactam servare, aut si læsa sit, etiam reparare, aut saltem ut

ut reperetur, juvare plurimum suis viribus & sumtibus queat, verbo sui ipsius Medicum agere possit; qua de re ipsi quoque cordati peritique Medici non pauca scripto reliquerunt. Alchimistæ cum toto ustrinarum suarum, caldariumque adparatu nihil non egerunt, ut medicamentum quoddam generale adversus omnem morborum genus serviens invenirent, sed irrito in hanc diem conatu. Nihilominus certa quadam ratione dici potest, jam dudum a natura ipsa inventum fuisse, esseque illud, quod Diætam vocamus. Negari haud potest, Deum naturæ Autorem primis hominibus integrum sanumque corpus dedisse; & quamvis id culpa sua morbis mortisque obnoxium fecerint, nihilominus & ipsi & longa serie posteri temperantia abstinentiaque, quæ usi sunt aureis illis seculis, quibus felix cupediarum & gulæ illecebrarum ignorantia, ac cibi potusque simplicitas regnabat, ad aliquot annorum centurias vitam produxerunt. Ubi vero sensim cum aliis sceleribus ingluvies & gulæ vitium inter homines invaluit, morborum semina crescere, vitæ autem dies & tempus decrescere cœperunt. Duplex itaque hominum genus heic considerari potest, tum eorum, qui a parentibus suis sanum in-

te-

tegrumque corpus nanciscuntur, tum illorum, qui vitiatum sanguinem humoresque infectos velut tristem primæ hæreditatis partem ab utero sortiuntur. Sed macte animo ! & illi pretiosum, quem acceperunt, sanitatis thesaurum diu conservare, & isti, quod innocentes contraxerunt vitium, emendare possunt unius diætæ patrocinio. Ratio hujus rei validissima in promptu est. Una enim est morborum omnium origo, nimis sanguis peccans, uti ex iis, quæ Cap. 3. de vitæ ac sanitatis ratione, deque partibus solidis ac fluidis late differui, abunde constat. Peccat autem sanguis vel per plethoram, si redundet ultra quantitatem corpori & viribus debitam, vel per cacockymiam seu humorum noxiiorum sanguini supernatantium copiam. Huic autem fere uni morborum origini una quoque eademque medicina respondet, scilicet diæta. Quid enim ? sanguis a chylo provenit, chylus a cibo & potu ; cibi autem & potus rationem diæta regit & moderatur. *Nemo, Galeni effatum est, (r) morbo corripetur, qui accurate cavet, né in cruditates incidat.* Nam hæ sanguinem spissum, motui con-

ve-

(r) *Lib. I. de cibis.*

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. X.

I

venienti ineptum, humoresque crassos & acres generant: ipsa vero cruditas a mala cibi potusque digestione originem ducit, & hæc ab utriusque usu immoderato. Sed erit fortasse, qui dicet, sanguinem peccantem, ut vocant Medici, esse quidem morborum caussam unicam interiorem: at multas esse alias exteriores, aeris intemperiem, æstum, frigus, laborem nimium, &c. quæ sapius evitari nulla ratione possunt. Verum huic respondeo, etiam his vitæ incommodis, quibus eximere nos penitus haud possumus, optime mederi diætam. Norunt enim Philosophi, uti alias, ita & caussas exteriores non agere in corpus, nisi ut dispositum. Quoniam igitur diæta conservat corpus, maxime sanguinem & humores, purum ac temperatum, illæ de quibus dixi, exteriores caussæ sanitati nostræ insidiantes hostilem vim suam in id vel omnino non, vel non ita facile, tantoque cum impetu poterunt exercere. Exemplum in Socrate habemus, qui ut Laertius (s) testatur, sua frugalitate ac temperantia effecit, ut quamvis Athenas sepius mero pestis vastaret, ipse tamen nunquam ægrotarit. Hinc Medicus sui ipsius scite canit:

Po-

(s) Lib. 2. de vitiis Philosoph.

*Pone gulæ metas, ut sit tibi longior
ætas.*

Longiorem sane illa, qua nunc plerumque fruimur, ætatem diætæ beneficio experti sunt præter primorum hominum propaginem plurimi Sapientum, plurimi Sanctorum. Democtitus & Hippocrates vitam produxere prior ad annos centum & quinque, posterior ad quatuor supra centum. Plato superavit octoginta. De quodam Philosopho, Heroidico nomine, prodit Aristoteles in problematibus, cum etiamsi omnium judicio debilissimæ esset naturæ, ac tabe laboraret, tamen arte τῆς Διαιτησίας (quæ victus rationem præscribit) ad centesimum annum pervenisse. Ipse Galenus luculentum sane temstem agit, dum de se ipso ita scribit: (t)
„Ego vero tametsi nec salubrem corporis statum ab ipso ortu sim natus, nec „vitam plane liberam egerim, hac tam „men ipsa arte usus post vigesimum „octavum ætatis annum, ne minimo quidem laboravi morbo, nisi forte diaria febri ob lassitudinem aliquando contractam. „ Vixit autem annos septuaginta.

(t) *Lib. 5. de tuenda sanit.*

ginta: quodque in se ipso, etiam in aliis
hoc medicinæ genere præstisſe ac exper-
tum ſe fuifſe profitetur his verbis: „Ar-
„te illa, quæ diætam præſcribit, eos qui
„ab ipſo ortu imbecillum corpus non
„ſunt ortiti, ſenſibus illæſis, & ab omni
„morbo & dolore alienos ad ſumma-
„men ſenectutem pervenire. „ Et vero hac
ipſa ratione, ut vicini nobis ſeculi, ſcili-
cet prioris, exemplum producam, ad ſum-
mam ſenectam pervenit Ludovicus Cor-
narus, Nobilis Venetus, virque honora-
tissimus, qui in Tractatu de vitæ ſobriæ
commodis a ſe conſcripto lingua Italica,
& in Latinam translato a doctiſſimo Leo-
nardo Lessio S. J. qui, inquam, ingenue
fatetur, ſe intemperantius comedendo bi-
bendoque ab anno ætatis trigesimo, quin-
to uſque ad quadragesimum variis ten-
tatum morbis, & necquidquam adhibitis
nece proficientibus remediis non procul
a morte abfuſſe: quum Medicis unam
tantis malis ſupereffe medicinam dicen-
tibus, ſcilicet vitam ſobriam, hoc deni-
que conſilium amplexus intra breve tem-
pus priſtinæ sanitati fuerit reſtitutus, &
continuatæ diætæ beneficio ad ſenectam
pervenerit ſatis longævam, quam prodiſ
his verbis: „Sed ut ex hoc, quomodo
„corpoſe & animo ſim diſpoſitus, co-

„ gno-

„ gnosci queat, quod hac ætate annorum
 „ 83. composuerim lepidissimam comæ-
 „ diam, plenam honestis jocis & verbo-
 „ rum salibus, quod genus poematis fo-
 „ let esse partus juventutis. „ Immo in
 eodem quem scripsit tractatu in margine
 hæc verba adduntur: *Vixit Cornarus*
postea multos annos. Nam anno 95. æta-
tis suæ sanus & alacris alium Tractatum
edidit. Non minus ipse Lessius Cornari
 interpres ac encomiastes, Vir doctis om-
 nibus ob eximia, quæ scripsit volumina,
 notissimus, adhuc juvenis gravem mor-
 bum contraxit, ita ut lenta rabe confi-
 ciendus crederetur; nihilominus absti-
 nentia & sobrietate ad canos usque præ-
 clare docendo scribendoque vitam lau-
 dabilissimam exegit. Verum longe ma-
 gis admiranda diætæ virtus elucet in il-
 lis sanctitate morum & vitæ austерitate
 summe conspicuis Viris, qui non solum
 procul ab omnibus illecebris & vitæ
 commoditatibus, sed inter gravissimas
 aeris, frigoris, æstus injurias, in antris de-
 fertisque locis solo pane, aqua, paucis-
 que leguminibus ad extremam usque se-
 nectam pervenerunt. S. Paulus primus
 Eremi incola ad annos 115. ætatem pro-
 duxit, e quibus circiter 100. in eremo
 translegit: S. Antonius ad annos 105.

S. Paphnutius ad annos 90. S. Hilarion ad annos 84. Jacobus Eremita, Persa genere, partim in solitudine partim in monasterio annos 104. victu tenuissimo transegit. Arsenius Praeceptor Arcadii Imperatoris post annum 95. aulæ ac mundo valedicens in eremum se recepit, & admirabili abstinentia usus tandem obiit natus annos 120. S. Franciscus de Paula pane & aqua semel in die post solis occasum refectus superavit annum nonagesimum. Neque primis solum seculis, verum etiam hac ætate nostra in facris Reliosorum hominum Asceteriis ubique viros invenire est abstinentiae deditos, simulque canis crinibus & senecta venerandos.

XXVI.

Quantumvis autem universæ tam salutare ac fecurum sit hoc medicamenti genus, nihilominus paucos invenit, qui amplectantur illud, & licet laudare debeant, experiri tamen nolunt, sed malunt corpus morbis, & crumenam Medicis venum expondere. Unde natum proverbium: *Sola intemperantia & crapula est Medicorum nutricula; pluresque occidit gula quam gladius.* Neque deflunt hisce ventris mancipiis quædam ad speciem argumenta, qui-

quibus diætæ curam elevare conantur : Ajunt aliqui , nimis molestam hanc cibi potusque parsimoniam esse , utpote quæ hominem perpetua fame sitique torqueat ; proinde satius esse citius mori , quam vitam adeo miseram diutius extrahere , verbo *medice vivere est misere vivere*. Sed horum querelæ occurrit longa doctus experientia memoratus Lessius . Nam inquit , initio quidem esse nonnihil molestum hoc vitæ genus , ob contrariam scilicet consuetudinem , & stomachi seditionem indolem ; verum sensim eam molestiam mitigari , quin penitus tolli . Non enim repente a magna quantitate ad exiguum esse transeundum , sed veluti per gradus , donec ad justam mensuram perveniatur . Dein esto , aliquid molestiæ longiore tempore sentiatur (quod tamen ita non est) ea maximis commodis & fructibus abunde compensatur . Sobria enim , pergit auctor , diæta morbos pellit , corpus agile , sanum & purum præstat , somnos quietos & placidos inducit , epulas communes suaves & jucundas efficit , sensibus incolumentem , memoriæ vigorem , ingenio perspicaciam confert , animi seditiones sedat , iracundiam & mæroriem pellit , libidinis impetum frangit ; denique corpus & animam bonis replet

maximis, ut merito mater sanitatis, hilaritatis, sapientiae & omnium virtutum dici possit. At sunt alii, sanitatis & vita prodigi homines, qui ut gulae per breve tempus eo studiosius servire queant, non esse exoptandam ajunt vitam longiorrem, quum post sexagesimum aetatis annum vix dici possit viva, sed mortua. Certe senecta longam post se trahit morborum appendicem. Nam faciem sulkant rugae, mares perpetuo stillant, defluunt crines, caput vertigine rotatur, tremunt labia, genas pallor vastat, oculos caligo inficit, in pectore rhevma, in articulis torpor regnat, pedes sine baculo gressum negant, hebescunt sensus, languet spiritus, & ægre trahitur anhelitus, vitaque tedium crescit, quo longius protrahitur. Sed ignorant sane isti, de qua senecta loquantur. Si eam intelligent, quam intemperantior juventus & prava vitiorum consuetudo vitiosam, effætam, infirmamque reddit, ubi post annos quadraginta aut quinquaginta ingruentibus undique morbis jam de corporis ditione consilia agitantur, jamque vasa colliguntur, facile in eorum sententiam eo. Ast videmus plane, vix non omnes illos, qui ad senectutem ope diætæ perveniunt, agiles esse, alacres, & vegetos, in consiliis

prom-

ptos, & ad functiones suas obeundas idoneos, ipsaque canitie sua venerandos: eorum sobrietatem admiramur, sed vestigia non sequimur, ut canit Poeta:

*Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.*

Rursus sunt nonnulli, qui dum gastrimargiae frœna laxant, interea cuticulæ suæ mirum blandiuntur, nescio quorum invitati exemplo, qui quotidie bene lauteque pasti de mensa surgunt, nihilominus fani ad ultimos vitæ terminos lento gressu pertingunt, Verum quam pauci sunt isti, quos celebrant, sibique sumunt imitandos? numerare digitis possumus, iisque duntaxat, quibus naturæ beneficio singulari eximum corporeæ fabricæ, partiumque vitalium robur, & ferrea ut dicimus natura obtigit, qui que ut plurimum nec studiis nec aliis laboribus curisque occupati vitam transigunt otiosam, atque ita reipublicæ parum utilem. Et quam obsecro incerta & periculosa est experimenti hujus alea? sane prudentis non est, tantis se morborum & mortis maturæ periculis aut incommodis vitam salutemque suam exponere ob spem eventus felicis, quo paucissimi fruuntur; præsertim dum satis

securam, immo pene certam dixero, diu honestissimeque vivendi methodum ac regulam in manibus teneamus: quamvis fateri necesse sit, neque hanc regulam omni exceptione contra fortuitos casus, seu verius contra Dei, qui vitæ necisque Dominus est, æternas ordinationes carere. Demum sunt, qui saginæ, cui adsueverunt, tenaces se tuentur experientia propria, dum stomacho ad digerendum forti, integris totius corporis partibus vitalibus, & temperamento adversus omnes seu intus seu foris advenientes injurias probe munito præditos se gloriantur. Sed vereor, ne hi triumphum ante victoriam canant. Credi vix potest, quanta materiæ malignæ copia sensim selle colligat in humano corpore, quæ diuturno etiam tempore in visceribus velut in insidiis latet sine sui indicio. Verum hæc ipsa ingruente quadam graviore aeris malignitate, aut noxii cujusdam cibi vel potus admoto fomite, vel accidente aliqua mentis insolita perturbatione velut subito accensa, & in furias acta in corporis universa republica seditionem commovet, non nisi præsentissimo vitæ periculo aut morte ipsa expiandam; unde tot repentina in ætate adhuc florente funera-

§. II.

Diætæ Ratio.

XXVII.

Quum tanta sit diætæ virtus & præstans-tia, & quidem in negotio cuivis ho-minis tam pretioso amœnoque, scilicet sa-nitatem vitamque, quam diutissime fieri potest, incolumem servandi, nunc in ra-tionem, qua medicina hac adeo compro-bata rite utamur, est inquirendum. Ig-i-tur omnium primo nosse oportet, diætam circa cibum potumque moderandum ver-sari. Nam abundantia utriusque orga-nismum procreat, seu nimiam sanguinis co-piam, per quam tum motus illius pluri-mum hebetatur, tum ipse sanguis admo-dum spissus densusque redditur, ita ut ad vasa humoribus purificandis destinata parum liquoris hujus salutaris adve-hatur. Ex primo horum fonte oritur ob-structio & durities certarum partium, quin etiam non raro contingit, ut per vim sanguinis trudentis vasa quædam ni-mium repleta rumpantur, sequente san-guinis vomitu: ex altero autem grandis intemperies tam in solidis quam in flui-dis partibus exsurgit, earumque corruptionem & putredinem post se trahit.

Præ.

Præterea alimento intemperantius ingerito fit, ut stomachus ad majus, quam natura constituit, spatum extendatur, atque ita minus virium & succorum ad digestionem necessariorum retineat & subministret: hac autem minus ordinate facta, ut onere se levet stomachus, partim crudam nec satis elaboratam massam in intestina propellit, partim residuis a cibo potuque jam diu sumto fœcibus manet repletus, per quas postmodum optimi etiam cibi recens ingestri corrumpuntur, & sanguis inficitur. Itaque heic de cibo primum, postmodum de potu differendi campus sese aperit.

Fundamenti loco sit, si quis nosse cupiat, quinam cibi prosint, qui noceant, quod sicut ad dignoscendam lineam rectam a curva re alia opus non est, nisi perfecta regula, ad quam examinetur linea, ita universè dici potest, eos cuique cibos prodeesse, quibus sumtis ad omnes convenientes corporis animique functiones exercendas habilis relinquitur; id quod fiet, si *πέψις*, quam concoctionem dicunt Medici, rite procedat, & nutractio per separationem inutilium ab utilibus, atque alimenti in chylum & sanguinem conversio debito ordine peragatur.

In

In his enim jam pridem diximus, sanitatis rationem contineri. Ex hoc fundamento generalia quædam principia deducere licet; primo quidem, cavendum esse ab omni eo, quod stomachum & intestina debilitat, ac residentem in iis motum peristalticum hebetat, utpote qui ad cibos extenuendos, & quod superfluum est, e corpore expellendum summe ac unice necessarius est: ejusmodi est cibus nimium acri, pinguis, & crudus; potus vero valde fortis & calidus, aut justo frigidior. Secundo, sanitati nocere id, quod sanguinem a libero circuitu, & separationem inutilium ac superfluorum humorum impedit, quod vel maxime præstat abundantia cibi & potus, quantumvis alias boni, quemadmodum notat Hippocrates (^u) dicens: *Nibil prodesse posse homini ad sanitatem, quantumvis bonum & optimum sit, si abundanter utatur.* Et clarius (^x) *nutrimentum nimium sumtum caussat morbos.* Præterea etiam in modo sumendi cibum a multis graviter peccatur, qui tanta cum festinatione comedunt, ac si harpyjæ a tergo instarent. Ex hac ad cibos aviditate cruditas oritur, & malum hypochondriacum aliaque plu-

(u) *Secc. 2. Aphor. 4.*

(x) *Aphor. 17.*

plurima accersuntur. Nam si cibi non satis dentibus prius subigantur, nec cum debita salivæ portione in stomachum mittantur, ordinata digestio atque divisio in eo fieri nequit, qua deficiente neque succus ille, qui ad alendum necessarius est, habetur, sed partes crudæ siccæque in intestinis harent, efficiuntque flatus, tormina, &c. Porro studiosissime vitari debent ea, quæ *acidum* ut vocant, gignunt ac nutriunt. Pestis hæc est in humano corpore. Nam ubi semel dominatur, omnes fere cibos in eundem secum acrem & malignum humorem convertit, & fodiendo membranam stomachi etiam rodit continuo membranam cerebri, arctissime priori connexam, atque ita perpetuum capitis dolorem creat. Denique abstinendum a cibis duris, aut multo sale ac fumo, quin & saccharo infectis. Primum enim ciborum genus chylum & sanguinem densum, minusque sincerum efficit; posterius facile corrumpit liquidas solidasque partes. Quippe nulla pars corporis ad recipiendum in se sal est destinata, ut inde commodum accipiat, sed una cum aliis cibi potusque reliquiis excerni debet ut Medici loquuntur: quod si non fiat, corporis partes ut dixi aggreditur atque corrumpit. Ultimum vero seu

seu saccharum aliaque dulciaria instar vi-
sci adhærent stomacho & intestinis, quin
& in sanguinem sese insinuant, atque ita
multum phlegmatis generant, quo fer-
mentante mala soboles prodit *acidum*.
Verum ut magis distincte singula pateant,
in medium adducam censuras, quas Me-
dici in diversa ciborum genera fertunt.
Inprimis non probant frequentiorem usum
leguminum, uti sunt fabæ, lentes, cice-
ra, phaseoli, pisa, &c. Utpote quæ visco
abundant, flatus generant, crassosque
succos & vapores post se relinquunt.
Noxia declarant, quæ nimis pinguia sunt,
idque multiplici ex capite, tum quia fer-
mentum illud, quod digestioni servit,
ejusque acrimoniam obtundunt, tum quia
nulla res magis pituitam in stomacho pri-
misque viis accumulat, præcipue frigido
potu superingesto, quo pinguia densan-
tur, tum quia ventriculi *tonum* lædunt,
ejusque fibras flaccidas reddunt, & ad con-
coquendum ineptas. Prohibent condiri
cibos aromatibus liberaliore manu asper-
sis; sunt enim acria, mordacia, & furti-
vo calore accedunt sanguinem, ac visce-
ra depascuntur, succumque humectandis
partibus vitalibus tantopere necessarium
absunt. Quæ sale ac fumo durata
sunt, uti pisces marinos, pernas porci-
nas, &c.

nas, &c. non parum reprobant, utpote duriora, quam ut a stomacho digerantur, & falsedine sua humoribus reliquis oppido infesta; quamvis modico sale tamquam condimento uti neutiquam prohibeant consentientes vetusto Poetæ:

Omnis mensa male sternitur absque sale.

Parcius quoque adhibenda esse monent alia, cæpe, raphanos, porros, brassicas muricatas, quum in his succus valde acris dominetur, stomachi & nervorum membranis inimicus, parensque acidi humoris. Præterea interdicunt crebriorem usum cupediarum, quæ ex farinæ siliagine & similagine conficiuntur, & e quibus una cum saccharo, vel melle, & aromatibus ac fructibus varia belliorum genera secundas passim mensas exornantia componuntur. Nam hæc aliud non subministrant, quam mucum tenacem, acore vitioso tincum, obstructionum, flatuum aliorumque morborum uberrimum fontem. Denique damnant e laeticiis caleum; quin & fructus autumnales, si immoderatius ista sumantur: priorem, quum facile in viscum abeat, febres excitet, alvum obstruat, & cito ace-
scat;

scat: posteriores vero, quia semper pravum aliquem succum comitem habent, qui chylum corrumpit & fermentum generat; hinc parce istis utendum esse suadent, quum medicamenti potius quam alimenti rationem habeant, quatenus vel æstum corporis mitigant, bilem temperant, sanguinemque refrigerant, vel alvum emolliunt, aut si opus sit constringunt. Hæc de cibis insalubribus, cavedisse Medicorum judicia sunt. Sed erunt forte non pauci, qui hæc ipsa spernant, immo rideant, dicentes hac ratione vix non ab omnibus præter panem & carnem abstinentur fore. Verum hosce nosse oportet, loqui Medicos tum de aliquorum e cibis istis nimium familiari ac liberaliore usu, qualis utique a quovis sanitatis conservandæ studiolo per diætam omnino tolli debet, tum de aliorum maligna vi, quam in illos exercere potissimum solent, quia jam prius cum infirma valetudine, debili stomacho, & noxiis humoribus conflictantur, quibus proinde medicina hæc, scilicet abstinentia, vel maxime necessaria est, ne igni oleum affundant. Ex hac ipsa re gravis in foro medico exsurgit quæstio, nimirum an alimentorum quantitas magis noceat, quam eorundem qualitas? Quo-

niam vero communis Medicorum sententia est, sobrietatem seu moderatum alimentorum usum corpori nutriendo ac viribus reficiendis accommodatum totius diæteticæ fundamentum ac cardinem esse, abunde constat, quantitatem magis obesse, quam qualitatem, quippe plurimi ac fere omnes morbi, paucis exceptis, e stomachi cibis oppleti vitio & quæ consequitur, sanguinis abundantia originem ducunt. Licet autem ciborum quidam calore suo sanguinem & humores exagittent, aut falsedine acriores reddant, vel pinguedine ac visco addensent, si tamen in modica quantitate sumantur, & dumtaxat in qualitate peccetur, minus damnum inferunt, citius concoquuntur, celeriusque per alvum, quod malignum est, egeritur. Illud autem extra controversiam est, victum simplicem longe præferendum esse varietati ciborum. In hanc jam olim gravissime declamavit Lucas: (y)

*O prodiga rerum
Luxuries, nunquam parvo contenta
paratu,
Et quæsitorum terra pelagoque cibo-
rum*

Am-

(y) Lib. 4.

*Ambitiosa famæ, & lautæ gloria
mensæ.*

Simplicitatem vero victus satis commendat vetus ævum, ubi quo ille fuerat simplicior, eo homines quoque robustiores, saniores, longiorisque vitæ fuerunt: quin & bruta monophaga, quæ uno solum pabulo utuntur, præ pamphagis, quæ quidquid objicitur, comedunt, salubrius longiusque degere experientia docet, & ratio suadet. Quum enim e diversis cibis diversa cuique sit indeoles & virtus, diversasque qualitates non raro contrarias possideant, eodem in stomacho commixti, inter se rixas & pugnam, in humoribus autem seditionem excitare facile possunt. Salernitanæ scholæ effatum est :

(z)

*Ova recentia, vina rubentia, pinguia
jura,*

*Cum simila pura, naturæ sunt vali-
tura.*

XXVIII.

Satis multa de cibo ; nunc ad potum.
Ut autem rectum sanumque judicium de
hoc

(z) *Cap. 8.*

hoc ad vitam & sanitatem non minus necessario adjumento ferri queat, audiendæ prius sunt ambæ partes, quarum una pro aqua, altera pro vino stat, quævis vero majoris salubritatis inesse vim persuadere conatur, caussamque clienti suo a Medico tribunali adjudicari desiderat. Qui aquæ prærogativam tribuunt, his utuntur argumentis: Aqua, inquit, est potus humanæ naturæ velut congenitus, & præ omnibus maxime conveniens. *Initium vitæ hominis aqua & panis.* ait Sapientis. (a) Certe in paradyso nulla vini, sed aquarum scaturientium, Nili, Gangis, Tigridis, & Euphratis mentio occurrit. Quodsi universum terrarum orbem oculis subjicere velimus, solam fere nunc inveniemus Europam, partem orbis minimam, & ne omnem quidem Europam, ubi vinum crescit, reliquis terræ incolis vel aqua simplice, vel cum herbis, aut frugibus mixta coctaque contentis, ut hac ratione aqua sicut omni aliorum ventium generi, ita etiam homini pro potu constituta esse videatur. A paucis enim non bene norma quædam ad universitatem derivatur, præsertim quum ex his paucis plurimi hominum vini malo usu extinguantur. Porro constat, ante

(a) *Eccles. 29.*

cataclysum seu diluvium, ubi nec vini usus nec notitia fuerat, sed demum post illud a Noe coli cœptum est, homines fuisse vivacissimos, & ad mille propemodum annos pervenisse. Si consulamus ipsius naturæ ductum huic vel maxime aquam respondere deprehendemus; hæc enim frigidum & humidum liquorem exigit, ut quod in corpore naturali calore absuntum est, eo rursus illi restituatur, atque ita hepatis ac cordis æstus temperetur. Quæ omnia si abessent, sufficere posset medendi ratio, quam in curandis morbis adhibent Medici, tot annorum usu & omnium gentium moribus comprobata. Profecto Galenus (b) docet: *duo maxime esse continentium febrium remedia, scilicet cibi detractionem, & frigidam aquæ potionem.* Immo non solum in febribus, sed in omni fere morborum genere prima est Medici prudentis sententia: A vini potu abstineto. Verum alii pro vino multis titulis aquæ præferendo facunde satis perorant dicendo: vires humano corpori quam maxime ab eo subministrari, suscitari languentes spiritus, exhaustos refici, quod experiuntur quotidie, qui laboribus aut itineribus multum defatigati sunt, aut

post

(b) *Lib. 8. Meth. Med. C. 5.*

post longiorem ægritudinem vitæ naufragio erepti virium reliquias colligere incipiunt. Nam vinum continet suavem quemdam & volatilem succum acidum, naturæ corporis & fermento gastrico amicissimum, qui coctionem adjuvat excitato calore nativo, quem cruditatibus pene enectum, & frigidiorum excrementorum illuvie obrutum revocat, debilemque ventriculum corroborat. Quid? quod etiam alimenti ordinatam distributionem vi sua penetrandi, ac subtilitate promoveat, celeriter in sanguinem transeat, probe nutritat, & somnum placidis halitibus suis conciliat: præsertim vero senibus convenire, unde vinum lac senile, balsamum vitæ, & ros cordis audit: Porro mentis ingeniique somitem esse, dum cerebrum natura sua humidius, algoreque pressum calefacit, & amœne foyet: pituitam exsiccat, facultates sopitas spiritibus suis subtilibus excitat, sensus omnes vegetat, memoriam & intellectum acuit.

Facundi calices quem non fecere differtum?

canit Horatius. Denique etiam teste S. Scriptura *Vinum lætificat cor hominis*, nimirum blande suscitando spiritus corporis

ris nostri incolas, suavemque eorum motum fluxumque procurando, quo lætitia in cor, & serenum ipsam in mentem transfunditur. Expositis utriusque partis momentis non contemnendis sano potius arbitrio, quam decretoria sententia causam definiendam, & litem amice compонendam, atque partem utramque conciliandam esse censeo. Duplici ratione vinum considerare possumus, ut medicamentum & ut potum quotidianum. Ut medicamentum decenter, id est, modice usurpatum plus quam aqua conducere videtur ad sanitatem tum conservandam tum restituendam: si vero ut potum quotidianum spectemus, aqua illi præferenda est in abstemiis, in pueris & adolescentibus, atque in iis, qui temperamento calidiore siccioraque a natura sunt prædicti, præsertim aestivo tempore, & in calidis regionibus. Universim vero loquendo quotidianus vini potus in assuetis probatur, si aqua mistum sit ac probe dilutum: idque ob duas potissimum cauffas. Primo quidem, quo vinum magis mera cum est, eo difficilius concoquitur, ejusdemque acor a ventriculo superatur. Unde fit, ut bullientes spiritus incitato motu in venas sese projiciant, viscera inflamment, obnubilent rationem, sensus

berent, motionemque labefactent. Quod vero de vino non satis concocto remanet instar vappæ, mille malorum & molestiarum origo est, maxime si ventriculus debilior sit. Atque hinc gravissime falluntur, & sibi imponunt, qui stomacho laboranti dolentique per vinum generousum liberalius haustum nec dilutum subveniri credunt, contra Apostoli monitum, qui Timotheo discipulo suo & Episcopo frequentibus infirmitatibus subjecto tanquam prudens Medicus suasit: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum.* (c) Secundo, merum meracum non solum corpori, sed & menti plurimum officit, quoniam tumultuosos sulphureosque vapores & halitus secum circumfert, sensus interiores exterioresque obscurat, & spiritus ad inordinatos motus concitat, uti funesta tremulentis exempla monstrant; dum contra a vino diluto alacritas omnium sensuum, vigor animi, affectionum grata temperies, & capitis ac ingenii serenitas perpetua subministratur. Quamobrem si scholæ Salernitanæ consilium placet: (d)

*Vinum sit clarumque, vetus, subtile,
maturum,*

(e) 1. Timoth. 5.

(d) Cap. 16.

Ac

*Ac bene dilutum, saliens, moderamine
sumtum.*

Quod vero præcipue ad diætam, qualem
hoc loco commendandam suscepi, perti-
net, est ut quemadmodum in cibo, ita
& in potu vitetur quantitas debitæ men-
suræ fines excedens; secus enim augen-
tur humores sanguini supernatantes, ni-
miumque impletur venæ, vel alia vasa
humoris hujus impatiens, stomachus
flaccescit, ac sanguinis motus impeditur.
Potus itaque cibo admensus esse debet,
quum uti hic ad nutriendas, ita iste ad
humectandas corporis partes a natura
exigatur, ita ut unius æque ac alterius
abundantia sit noxia. Hæc de potu uni-
verse dicta sufficere possent; juvat ta-
men speciatim quædam adjungere. Me-
rito rejiciuntur a Medicis vina nimis ge-
nerosa & calida, quæ incendunt: dulcia,
quæ sanguinem opplent: sulphurea, quæ
acidum humorē promovoent, nervos con-
stringunt, fibras afficiunt, & in arthriti-
dem degenerant. Cerevisia, ubi multum
lupulorum, fumo implet caput: dulcis
nec sat fermentata stomachum & intesti-
na debilitat, flatusque generat: fortior,
ubi nimium polentæ, plethoram assert,
rerumque non bene digestatum exitum

prohibet. Potus frigidi, præsertim glacie imbuti, si tempore calido & æstuante corpore sumantur, plurimum nocent, dum sanguinis circuitum sistunt, & humores obstupefaciunt: nulla vero major pestis, quam potionis calore ignis liquatæ, quas *spiritus* vocant, e vino, menta, cerasis, &c. extractæ, si non cautissime & modicissime instar medicinæ adhibeantur. Nam celerrime sanguinem subeuntes exsiccant humores eidem necessarios, cumque in venulis minutis addensant; stomachum quoque humore debito spoliant, & chyli lac pessundant; quo e fonte postmodum frequens hydropisias, phthisis, cachexia, icterus originem ducunt.

§. III.

Diæta servandæ Methodus.

XXIX.

Intellecta diætæ ratione, quæ in cibi potusque debita moderatione potissimum consistit, in ejus methodum investigare animus est, quæ res difficultate non caret; quum nosse heic oporteat, quantum cuivis de cibo & potu conveniat, habendo rationem stomachi, laboris, & exerci-

citationis. Antiquis temporibus certa Medicorum secta viguisse dicitur, quæ in quovis morborum genere per certos quosdam dies continuos omni cibo & potu ægros interdixere; quod si hac ætate nostra fieret, homines sibi magis caverent a Medicis, quam a morbis & morte ipsa. At Hippocrates & Celsus mitioris erant indolis, & discrimen inter morbos secerre: quosdam eosque multos diæta sola curabant: alios vero adhibitis medicamentis, sed præscripta semper diæta, quam secundum mensuram virium ordinabant, & in tres divisere classes, primam pro robustis, & stomacho ad dirigendum forti præditis, alteram pro debilioribus, tertiam pro iis, qui medium inter hos & illos locum occupabant. Præterea ad examen vocabant morbi indolem, perspiciendo an ex alimento superfluo, an vero ex illius defectu oriretur. Primum si accidisse deprehenderunt, præmisſis ad corporis fortes evacuandas medicinis phlebotomia usi sunt præter diætam, vel omnem per aliquot dies cibum exceptis jusculis, vel saltem magis nutrientes subducendo. Atque hanc posteriorem methodum etiam hodie sequuntur Medici. Verum alia est, de qua nos loquimur, dia-

diætæ methodus, extra fines morborum posita, & quæ convenit sanis etiam, ut se conservent, vel certe non admodum firma sanitatem pollutibus, ut non graviori se discrimini exponant, & longiores cum morte inducias paciscantur. Fiantur uno quasi ore Medici, nullam generalem regulam circa quantitatem alimenti posse statui tum propter ætatis, temperamenti, & vitæ generis varietatem, tum propter anni temporum, & regionum diversitatem. Plus enim alimenti opus est ætati illi, quæ corporis & virium incremento est destinata, quam quæ in senium vergit: plus temperamento, cui bis-
jis, quam cui sanguis aut pituita dominatur: non minus plus illis, qui manuum labore, servitio, opificio aut alia arte mechanica vitam sustentant: plus hyeme, ubi stomachus fortior, quam aestate, qua spiritus cum sudore foras absunt: plus in frigidis Septentrionem versus, quam in calidis regionibus ad Austrum tendentibus. Male tamen ad inventiendam moderationem in consilium vocatur sensus, quem gustum vel appetitum vocamus, & adhuc pejus obeditur ei, plus quam debetur, exigenti. Ventriculus equidem, præsertim si fermentum acidum prævaleat, magis ma-

gisque latrat, & plus poscit; sed tamen molestus creditor non est, dummodo des illi, quod debes, & non quod potes. Plerumque quo vehementius cibum & potum adpetit, eo nocentius illius voto satisfit, & alimentum tantopere desideratum administratur: unde *appetitum* hunc *spurium* adpellamus. Quapropter rerum periti observandam esse monent ventriculi non appetentiam sed facultatem, ut pote cui mensura alimenti, quantum fieri potest, debet esse æqualis & commensâ. Ea enim est mensura cujusque, quam facultas ventriculi ipsius inter occupationes animi & corporis, quibus quis distinetur, perfecte potest concoquere, & aenando corpori satis est.

Sed circa hanc ipsam mensuram inveniendam atque in praxin deducendam nova oritur difficultas, quam pridem præfensit atque notavit S. Augustinus (e) ita scribens: *Jam vero cum ad usum ventrum fuerit necessariæ voluptatis, per quam reficimus corpus, quis verbis explicet, quemadmodum nos modum necessitatis sentire non sinat, & ipsum limitem procurandæ salutis (si quæ adsint delectabilia) rapiendo abscondat, & transeat, putantibus nobis*
sa.

(e) Lib. 4. contra Julian. Cap. 14.

satis non esse, quod satis est, dum libenter ejus provocationibus ducimur, existimantes nos abhuc agere negotium valetudinis, quam agamus potius voluptatis. Ita nec sit cupiditas, ubi finiatur necessitas. Ut hisce voluptatem inter ac necessitatem tricis domesticis eo facilius nos expediamus, nosse oportet, quid præstantes Medicis hac de re sentiant, scilicet, posse ciborum mensuram & quantitatem cognosci tum *a priori*, ut scholæ loquuntur, tum *a posteriori*: a priori quidem, si qui sano eit corpore, nunquam ad satiatem usque comedat, sed cum fame quadam, nec plene soluto gulæ naulo a mensa recedat: si ad ventriculi sui vim & vires probe attendat, nempe

Quid valent stomachus, quid ferre recuset.

si pariter ciborum, quæ mensæ inferuntur, naturam & indolem consideret. A posteriori vero: si post assumptum cibum non sentiatur torpor, gravitas & lassitudo corporis; alimenta enim ad vires corporis & mentis recreandas, non ad agravandas & opprimendas natura concedit: si remota mensa adhuc ad munia obeunda alacres & vegetos nos experiamur,

mur, nec ineptos ad animi quoque functiones, si necessitas requirat. Hæ præclaræ sunt Medicorum regulæ.

XXX.

Sed ut ad ipsam praxin accedam, qua pervenire possimus in notitiam debitæ mensuræ ad sanitatem tantopere conducentis, præstare mihi videntur regulæ illæ, quas non solum animæ, sed corporis etiam hac in parte Medicus præclarus S. Ignatius Lojola in aureo *Exercitiorum spiritualium*, ut vocant, libello producit, (f) ad victum recte temperandum. Altiorum quidem finem in iis præscribendis præfixit sibi S. Pater, nimirum profectum in spiritu, qui abstinentia plurimum adjuvatur: non minus tamen ad sanitatis tuendæ rationem transferri possunt. *Primum* statuit his verbis: „Quod a pane „minus abstinendum sit, quam a reliquis „alimentis, cum neque gulam adeo iri- „tet, nec tentationi æque obnoxios nos „reddat. „*Secundam*: „Quod circa „potum attendenda sit magis abstinen- „tia, quam circa panem: caute obser- „vando, quæ prolixt mensura potus, ut „sumatur semper; quæ rursus noceat, „ut tollatur. „*Tertiam*: „Quod cir- ca

(f) *Hebdom. quart. de Regul. aliquot.*

„ ca pulmenta & edulia potissimum ab-
 „ stinentiae ratio versetur , cum per illa
 „ tum appetitui ad peccandum , tum ini-
 „ mico ad tentandum major subministre-
 „ tur occasio . Temperanda sunt igitur ,
 „ vitandi excessus causa , quod sit du-
 „ pliciter , dum vel cibis grossioribus ve-
 „ scimur , atque assuescimas , vel dum
 „ parce delicatis utimur . „ *Quartam :*
 „ Quod quanto plus de conveniente vi-
 „ etu sibi quis ademerit (vitato interim
 „ valetudinis adversæ gravi periculo) tan-
 „ to celerius mensuram cibi & potus ju-
 „ Nam reperiet : tum quia hoc modo me-
 „ lius se disponens , & obnoxius tendens
 „ ad perfectionem , sentiet interdum quos-
 „ dam cognitionis internæ radios , & con-
 „ solatorios motus sibi cœlitus immisso ,
 „ ex quibus facile poterit rationem vi-
 „ etus commodiorem discernere : tum
 „ quoniam si quis ita abstinendo se de-
 „ prehenderit viribus imbecilliores esse ,
 „ quam ut Exercitia ipsa spiritualia per-
 „ agere commode valeat , sic facile ad-
 „ vertet , quam mensuram victus naturæ
 „ necessitas requirat . „ *Ottavam :* „ Quod
 „ plurimum conductit ad tollendam cibi
 „ potusque moderantiam , si ante pran-
 „ dium aut cœnam , & quacunque hora
 „ nulla esuries sentitur , prævia delibera-
 „ tio .

„ tione, victum proxime sumendum de-
„ finiamus ad mensuram certam, quam
„ deinde nulla vel propria aviditate, vel
„ instigatione inimici unquam exceda-
„ mus; sed potius vincendæ utriusque
„ caussa, de illa nonnihil etiam subduca-
„ mus. „ Ex his regulis præcipue quar-
ta & octava ad rem propositam faciunt,
& consideratione dignæ sunt. Vult ita-
que S. Ignatius, ut ad victum rite tem-
perandum, id est, ad diætam in praxin
reducendam incipiamus primo a detra-
etione victus, quod utique sensim fieri
oportebit, minuendo modicis passibus
consuetam quantitatem, per quam fi-
nes sobrietatis excessimus, donec ad eam
perveniatur mensuram, quæ non amplius
animi functiones hebetat, & corpus gra-
vat. Omnis enim mutatio notabilior,
quæ subito fit, naturam offendit, quum
violenter recedatur a consuetudine, quæ
altera natura est. Quare negotium hoc
non est unius diei aut septimanæ, sed
longiore indiget tempore, & repetitas
observationes exposcit, quibus expenda-
tur, qua ratione facta modo hac modo
illa quantitatis & qualitatis mutatione,
nunc addendo, nunc subtrahendo; qua
inquam ratione animi functiones, stoma-
chi concoctio, sanguinis circuitus, som-

nus, serenum capit is (quibus in rebus maxime se produnt partium vitalium pattemata) processerint, donec ad debitum ut ita dicam æquilibrium inter naturæ vires & victus rationem perveniat. Tum vero octava regula locum habebit, scilicet, ut non attenta cupiditate ac spuria ventriculi appetentia ante prandii vel cœnæ tempus, ubi nulla sentitur esurie, uti dictum est, de quantitate ac qualitate cibi & potus sumenda velut decretoria feratur sententia. At fastidio plenus hic labor est, ac longo studio comparanda ars isthæc? tantus non est, quantum ad alias quasvis artes requiritur, minus saepe utiles, certe minus necessarias, quem tamen libenter impendimus, quin & inventa post multos conatus recta methodo exultamus.

His ita constitutis duo adhuc suffunt sat magni momenti, (nolim enim minuta quæque persequi) dignaque consideratione. Primum est, an expeditat unica vice corpus reficere, an pluribus? Mos iste non paucorum est, etiam qui lauitiis mensarum assueti sunt, multumque laudandus, si intra fines sobrietatis sese contineat, nimirum si justa, moderata tamen, victus portio sumatur in prandio: in

in cœna vero nonnisi juscum aut cibus levissimus. At si cœnæ abstinentia cum fœnore prandii compensetur, & velut pro aris & focis tum comedatur & bibatur, sanitati prodesse mos iste neutiquam potest. Nam ita ventriculus supra vires simul ac semel oneratur, quumque robur omne ad concoquendam cibi potusque farraginem impendere debeat, vel multa incocta crudaque relinquet, vel nō mio conatu vis digerendi ac motus peristalticus multum debilitabitur: unde plethora, & ex hac alii morbi prodeant necesse est. Medicorum hac in re consilium placet, nimirum si ventriculus pituita frigida & lenta abundet, magis expedire his, si una duntaxat vice comedant, quum multum temporis ad illam concoquendam extenuandamque requiratur, ita tamen, ut si vespere id fiat, modicum quid meridie: aut si meridie, modicum quid sub vesperam sumatur. Hac enim ratione nec nimium gravabitur subito ventriculus, nec omnino vacuus per reliquum tempus relinquetur. Alterum est, quum non omnibus integrum sit ob labores & officia exactam diætæ rationem servare, quomodo illi sint juvandi, ut valetudinem tueantur, & ad senectam pertingere possint? Neque huic hominum generi Me-

dicorum industria & consilia desunt, asserentium unicam superesse viam, qua id quod desiderant, consequantur, nimirum ut quot annis bis saltem, scilicet in Vere & Autumno, corpus a noxiis humoribus sumto pharmaco liberent, & si plethora se prodat, sanguinem mittant. Qui enim sobrie non vivunt, ait Lessius, singulis diebus aliquid crudi humoris addunt, quod ad venas transiens per totum corpus velut per spongiam distribuitur. Quare unius alteriusve anni spatio tanta pravi humoris quantitas in corpore confluit, quantum vas ducentarum unciarum, seu quatuor poculorum vix capiat: atque hi humores, si non identidem subtrahantur, tandem temporis tractu putrescunt, & lethales morbos inferunt; unde magna pars hominum ante tempus extinguitur.

§. IV.

Diæta studiis deditorum.

XXXI.

Quantumvis hæc, quæ hucusque de diætæ præstantia, utilitate ac methodo latius differui, abunde possent satisfacere cujusvis justo ad sanitatem tuendam promovendamque desiderio, nihilo-

lominis occurruunt aliqua hoc in nego-
tio, de quibus observandis speciatim ad-
moneri debere videntur ii, qui studiis
navant operam, doctisque laboribus ma-
ximam vitæ partem vel sua vel aliena
voluntate arbitrioque transfigunt. Quip-
pe ex horum longiore vita, integris vi-
ribus corporis mentisque continuanda,
plurimum & emolumenti & decoris res
bonumque publicum capere consuevit.
Verum non raro accidit, ut præmaturo
fato spes patriæ ac orbis literati secum
tumulo inferant viri longiore vita dignis-
simi, qui egregiam studiis operam na-
vant, & animum omni eruditionis gene-
re student excolere; interea vero sanita-
tis conservandæ incuriosi vel non intelli-
gunt, quid sibi proft, quidve noceat,
vel intelligere negligunt, atque ita ne-
cessariis vitæ prolongandæ præsidiis de-
stituti parum ordinata, quin immodica
studiorum contentione, cum simili victus
immoderatione conjuncta, brevi vires
pessumdaunt, & vel diversis morbis obno-
xios se reddunt, vel omnino fata sua
præcipitant. Huic igitur hominum ge-
neri vel maxime necessaria est diæta, &
quidem dupli ex capite: primum est,
ne laedant corporis sanitatem studiorum
affiduitate. Hæc enim magnam spirituum

illorum copiam, qui ad stomachi robur
& ad digerendum cibum potumqne inser-
vire deberent, ad capitis & cerebri cu-
riam avocat atque absunit; unde ven-
triculus impar redditur ad concoquen-
dum mensæ commeatum liberalius adve-
ctum, chylus non rite perficitur, sanguis
cum reliqua humorum appendice vitium
patitur, & sanitas brevi tempore profli-
gatur. Alterum est, ut mentem ad li-
terarios labores semper promptam ac ex-
peditam servent; cibi autem potusque
abundantia animi serenum ausert, caput
obnubilat, sensus hebetat, & spiritus in-
genium facultatemque cogitandi excitan-
tes suffocat. Quapropter homines istos,
dum tantum temporis, tamque indefes-
sum conatum studiis ac literis & erudi-
tionis famæ consecrant, neutiquam pige-
re deberet modici, quod in sanitate con-
servanda tanquam præcipuo scientiarum
adminiculo collocent, studii, diligenter
observando, quæ cibi potusque mensura
(certe minor ut plurimum, quam qui
negotiis laboribusque extra se positis oc-
cupantur) stomacho suo conveniens sit,
ut mens semper serena, & functionibus
suis par inveniatur, quin tamen interea
corporis vires detrimentum notabile pa-
tiantur.

XXXII.

Præter hæc periti expertique Medici leges quasdam sane non contemnendas literatis præscribunt. Inprimis ut capitulis custodiendi curam gerant. Est enim hoc sedes cerebri, nobilissimi ac literarum studiosis proprii instrumenti, non minus ac pedes sunt Tabellariis, manus opificibus, & cantoribus vox. In hoc ex innumeris & tenerrimis venuulis, fibrillis minimis, canaliculis ac receptaculis contexto secernitur e sanguine succus subtilis, elasticus, limpidissimus & spiritibus plenus, quo velut rore conspergitur, qui que in reliquas corporis partes dispensantur, præsertim in sensuum organa, e quibus postmodum animales spiritus in cerebrum confluent velut sensuum legati, & una cum spiritibus illis lucidissimis, ac omnis vaporum caliginis expertibus, qui in cerebro elaborantur, animam excitant vi admirabilis ejus, de quo alibi diximus, commercii eam inter & corpus intercedentis, serviantque ad nobilissimas intellectus functiones rite exercendas. Jam vero nosse oportet, & foris & intus esse, quæ capiti ac cerebro nocumentum adferre possunt, nimirum calorem, frigus, humorem, siccitatem, si li-

mites excedant. Quare foris custodire caput oportet, declinando solis æstum, ne nudo vertici diu immineat, frigus arcendo hyemis tempore in hypocausto modice calefacto (si enim abundet calor, plus studiis nocet quam prodest) vitanndoque quantum fieri potest, aerem humidum. Plus autem solicitudinis in eo ponendum est, ut interior cerebri temperies sarta tecta servetur. Hanc ob rem abstinendum est uti a calidiore fortioreque, ita etiam a frigidiore, præser-tim glaciali potu. Prior enim sanguinem vehementius concitando impellendoque in teneras cerebri partes, eas laedit & serenum perturbat: posterior torporem inducit, suavemque quo spiritus foventur, calorem suppressit. Tabaci usus moderatus sit oportet, ne ablato li-quore ad cerebrum humectandum necessario arescant subtilia ejusdem vaſa, & spiritibus libere commeantibus via intercipiatur. Maxime vero curandum, ut literarum studio certi temporis limites ponantur, ultra quos non protrahatur; nec nisi post intervalla ad illud redeundum; secus enim cerebri fibræ nimium intensæ demum flaccescunt, vigoremque illius pessuindant.

XXXIII.

Porro vehementer improbant Medici studium nocturno tempore, maxime si prolixius sit, nec sine manifestis rationibus. Nam quo longius sol recedit ab horizonte, eo plus deficiente quoque calore aer addensatur, atque ita gravis nimium ac frigidus evadit, eodemque tempore cerebrum inficit. Dein deficiente somno ac quiete humani corporis machina plurimum luxatur, dum nervi per diurnum laborem jam fatigati, si rursus intendantur sub noctem, amplius resolutioni robur omne perdunt, & in officina sensuum spiritus penitus exhauriuntur. Potissimum vero his in vigiliis inconsultis stomachus patitur, & indigesta cruda que cibi massa oneratur. Contra matutinum tempus studiis aptissimum esse quis neget? partim ubi somni beneficio emissis ex corpore vaporibus in membra vigor ac ipsa velut vita & anima redit, abstergaque capitis fuligine spiritus puri ac lucidi cerebro lese insinuant: partim ubi aer temperate calidus, subtilis & quietus est, qui alimentum spiritibus praebet; hi vero mentem velut suavi rore perfundunt, & ad quidvis penetrandum agilem expeditamque reddunt.

Denique summopere commendant Medicis studio deditis curam servandi sanguinem purum ac defæcatum, cuius rei obtinendæ duplicem monstrant viam: primam per victus rationem, ne scilicet cibis grossis ac crudis frequentibus utantur, qui stomachum gravant; ut ab iis abstineant, quæ acidum & phlegma promovent: ne festinanter comedant, seu potius vorent: præsertim ut brevis & parca sit coena secundum Salernitanæ scholæ placitum (g)

Ex magna cæna stomacho fit maxima pœna,

Ut sis nocte levis, sit tibi cæna brevis.

Suadent vero panis modico fermento præditi usum, etumque carnis vitulinæ: solam aquam iis, qui studiis multum sunt dediti, & occupati, ajunt non quadrare plerumque, quum stomachus debilior viribus & calore indigeat: nihil vero nocivius esse crapula, utpote quæ densis ac sulphureis humoribus cerebrum implet, queis succus in nervis corrumpitur: potum vero calidum Thee multum probant, quum sanguinis fluxum promoteat, & ce-

(g) Cap. 5.

rebrei partes leniter humectet. Nimium contra somnum prohibent, quo eundem sanguinem spissum caputque stupidum reddi censem. Alteram viam ad sanguinem in flore suo conservandum per decentem corporis motum obtineri debere contendunt. Quapropter statuunt primo, sub ipso studiorum conatu, si diutius dureret, nec semper sedendum, nec semper pedibus insistendum esse, sed vel alternis vicibus laborem istum partiri, vel brevi quadam deambulatione, aut alia corporis agitatione interrumpi oportere, tum ne fibræ capitis nimium tantantur, tum ne reliqua corporis membra torpescant: dein certis per mensem diebus diuturniori, moderatæ tamen, corporis motioni, seu pedibus seu equo seu rheda fiat, esse indulgendum censem, quum ejusmodi motio & ad corporis, & ad mentis sanitatem plurimum conferat; hujus quidem, quoniam animus exhilaratur, serenatur caput, & facultates animæ a seriis cogitationibus tantisper remotæ grata quiete recreantur: illius autem, dum aperitis per motionem hanc poris minus puri vaporess foras mittuntur, sanguinis circuitus promovetur, & stomachi fibræ ac muscularum tendines velut in ordinem pristinum rediguntur. Ut autem eo sa-

lu-

Iubrior sit motus iste, assulgente serena
cœli facie, aspirante molli aura, stomacho
vacuo, peractoque digerendi negotio
suscipiendum esse suadent. Atque
ita secundum prudentissimas Medicorum
leges hucusque recensitas instituta studiorum
ratio non tantum non nocebit sanitati, quin potius ei proderit. Nam ut
canit Ovidius :

Vivitur ingenio, cætera mortis erunt.

§. V.

Diæta Mentis.

XXXIV.

Tam misera est hominis conditio post primæ innocentia jacturam, ut non solum innumeris obnoxius sit morbis, qui corpus affligunt, sed variis quoque, qui meliorem ipsius partem, scilicet animum, afficiunt. Neque duntaxat posterioris morborum generis maligna vis intra fines animi se continet, sed etiam ut plurimum in corpus redundare solet, eo nocentior, quo minus cognoscitur. & quo magis tacite in ipsa viscera gressatur. Hinc sit, ut animi ægritudines, si reliquis accesserint, Medicorum artem &

me-

medicinarum virtutem omnem plerumque deludant. Ipsa sane experientia, & funesta, quæ frequenter occurunt, exempla id nos docent: ita illos, qui nimium sunt cupidi divitiarum, augendique opes suas, si subito sinistræ fortunæ casu grandem illarum jacturam patientur, melancholia lentaque tabe breve intra tempus consumi videmus: ita quos supra modum ira & vindicta stimulat, vel atra bile perpetuo torqueri, vel malignis febribus e medio tolli cernimus: ita incontinentiæ deditos, & lascivis amoribus implicitos intuemur scabie, viscerum putredine, ac lue gallica misere fœdeque infici. Universæ pronunciari potest, omnes animi affectiones, si limites gravius excedant, diversos in humano corpore morbos progignere, dum sanguinis crasis & humorum temperiem perturbant, & rebellionis speciem quandam in mechanica republica excitant. Quemadmodum autem præstantissimam ac generalem medicinam aduersus omne morborum corpus afficientium genus esse diætam in cibo potuque supra demonstravi, ita etiam ausim asserere, diætam mentis in ejusdem affectionibus (quas vulgus *passiones* vocat) non minus efficax, salubre, quin & necessarium pharmacum esse aduersus

animi ægritudines, & inde resultantes quoque corporis morbos.

Doctor Angelicus D. Thomas (h) dupli ratione considerandas esse docet has animi affectiones: uno modo pro *formæ/i* ut scholæ loquuntur, quatenus scilicet dicunt actionem animæ inhærentem, qua ista in rem objectam cognitamque fertur, prosequendo illam, si convenientem sibi esse credat; sin minus, eam fugiendo. Alio modo pro *materiali*, quatenus sibi adjunctam habent quandam corporis immutationem, excitando diversas in eo sanguinis & spirituum motiones, nec non tumultuosas humorum agitationes, quæ vel intra corpus seditionem excitant, vel etiam non raro per membra foras prorumpunt. Atque hoc posteriore modo, quo medicina illos considerat, maximam certe vim habent in corpus, cæteroquin etiam sanum, gravissimosque morbos, quin & ipsam mortem homini accersere possunt. Licet autem affectionum harum seu *passionum* communi calculo undecim proferantur, amor & odium, desiderium & fuga, gaudium & tristitia, spes, audacia, desperatio, timor, ira, Medici tamen ex istarum numero quatuor duntas-

xat

xat feligunt sibi, accuratius perpenden-
das, dum de corporis sanitate tractant,
scilicet iram, tristitiam, metum & terro-
rem, ac hilaritatem, qua ultima etiam
veneris usum quantumvis licitum com-
plectuntur.

XXXV.

Jam vero oportet, harum indolem be-
ne perspectam habere. Ira plurimum
nocet sanitati. Nam si acrius insurgat,
totam sanguinis massam veluti motibus
contrariis agitat, non secus ac Boreas &
Aquilo maria, fluctibus inter se collisis.
Præterea vitiosos humores concitat, &
ab uno in aliud membrum, maxime in
nervos præcipitat; unde tremor artuum,
bilis effusio, spasmi, & motus, quos *con-
vulsivos* vocant, oriuntur, ita ut merito
ira nuncupetur *Furor brevis, soror insa-
niæ, ebrietas mentis, bellua immanis*. De-
pingit hominem iræ deditum Persius his
versibus, tanquam nativis coloribus: (i)

*Nunc face supposita fervescit sanguis
& iras*

*Scintillant oculi, dicitque facitque,
quod ipse*

Non

(i) *Satyr. 3.*

*Non sani esse hominis non sanus juret
Orestes.*

Tristitia non minus noxia est. Quippe in iis, qui hac affectione animi laborant, animales spiritus valde debili mortu per nervos feruntur, quibus non rite agitatis cor languet, ac debito vigore destituitur ad sanguinem & cum sanguine spiritus propellendos, ac in reliquum corpus dispensandos. Atque hinc vasa & meatus tenues partium vitalium materia crassa lentaque implentur ac obstruuntur; unde alvi tarditas, cardialgia, scorbutus, præcipue vero malum illud, quo non truculentius ullum, hypochondria originem trahunt: hinc quoque illæ lacrymæ, de quibus Ovidius: (k)

*Est quædam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturque dolor.*

Immo ipse sanguis in vappam abit, & hinc inde restagnans consuetum toti corpori alimentum subtrahit, tristi macie subsequente.

Metus & Terror, si vehementior sit, plurimum obest sanitati. Nam spiritus & sanguis dum ad partes interiores velut in asy-

(k) *Lib. 4. Trist.*

asylum recurrent, exteriora corporis membra frigore ac tremore vix non enecantur, caligantque oculi, labant genua, frigidus per ossa sudor currit, & contractis vasibus nervisque deliquia sequuntur, & viscerum compages solvitur. Quod Timor tardius, hoc celerrime præstat Terror, quo spiritus turbantur, & sanguis in corde sistitur, ita ut non raro vitali facultate oppressa repentina mors superveniat. Virgilius canit :

*Obstupui, steteruntque comæ, & vox
faucibus hæsit.*

Hilaritas & Lætitia equidem reliquas inter animi affectiones ad sanitatem conservandam plurimum emolumenti adfert, si fuerit moderata. Hac enim præsente animales spiritus velut exultant in cerebro, & extra illud in nervos omnes proficiunt; unde etiam sanguis, ac spiritus vitales grato motu per totum corpus sese diffundunt, omnesque partes blando calore fovent. Dilatat nempe lætitia eorum, vasa, & viscera; unde aperta ubique porta patet sanguini & spiritibus, ita ut cunctis facultatibus corroboratis functiones reliquæ concoquendi, digerendi, & alimentum dispensandi debito modo perficiantur.

ciantur. Hinc Sapiens monet : (1) *Animus gaudens ætatem facit floridam ; spiritus autem tristis exsiccat ossa.* Verum si hanc animi affectionem accipiamus pro amore impuro, turpi delectatione, ac usu Veneris, etiam licito sed immoderato, uti Medici eam considerant, nulla pestis major, nulla nocentior sanitati. Nam omne robur corporis enervat, spiritus optimos & purissimos prodigit, qui partes solidas firmare, & fluidas promovere deberent, corque accedit perpetuo sanguinis ebullientis æstu : hinc somnus fugit, macies & tabes viscera depascuntur, non raro gallica lues succedit, atque senectus & mors ante tempus acceleratur. Heic vel maxime opus est cibi potusque abstinentia. Nam *sine Cere & Baccho friget Venus.* Unde cecinit bene Poeta :

Subtrabe ligna foco, si vis extingueire flammam.

Quis jam est, qui non videat, & hanc quoque diaetam, scilicet mentis, ad tuendam sanitatem summe utilem, quin necessariam esse ? Oportet igitur, ut qui eam sartam tectam servare cupiunt, interioris quoque hominis œconomiae stude-

(1) Cap. 7.

deant, & animi affectiones, ne evagentur, debitos intra limites continere, aut si seditionem movere velint, injecto freno coercere norint, non secus ac apud Virgilium fluctus & ventos furentes Neptunus :

*Quos ego ! sed motos præstat compone
nere fluctus.*

Primus hic labor parentum & moderatorum esse deberet, ut in molli ætate velut in herba suffocent prava cupiditatum affectionumque exorbitantium germina: quod si neglectum fuerit, aut cum annis repullulent, virtus maxime prudenter, in auxilium vocanda est, & sancta quædam vis & violentia inferenda, usque dum ad debitam temperiem perveniatur. Sic non solum sani erimus, sed etiam sapientes. Concludere juvat caput hoc de Medico sui ipsius seu diæta notis sed plane aureis scholæ Salernitanæ versiculis : (m)

*Si tibi deficiant Medici , Medici tibi
fiant*

*Hæc tria: mens bilaris , requies , mo-
derata diæta.*

C A.

(m) Cap. I.

M 2



CAPUT VII.

ADJUMENTA AD SANITATEM CONSERVANDAM.

§. I.

Phlebotomia.

XXXVI.

Quamvis una duntaxat, quantum ad præsens institutum scilicet sanitatis desiderium, adtinet, hominum conditio sit (quum vitam ac sanitatem a morbis & aliis corporis miseriis immunem servare, quin & prolongare naturæ ductu quodam desiderent omnes, si homines desperationis spiritu correptos exceptias, quam Cicero (n) ægritudinem adpellat *sine ulla verum exspectatione meliorum.*) nihilominus diversæ sunt classes illorum ; scilicet aliquorum, qui quum diæta id præstare possent, non tamen volunt, quorum ingens numerus est : deinde

(n) *Lib. 4. Tuscul.*

de aliorum, qui vellent, sed ob labores aut officia, vel occasiones aliaque obstructa non facile possunt: denique eorum, quibus malas corporis affectiones diæta tollere non potest, licet mitigare queat. Itaque hi aliis opus habent adjumentis, quorum ope inducias saltem honeste pacisci liceat cum morbis & morte. Inter haec unum e præcipuis est phlebotomia. Quum enim vitæ ac sanitatis rationem in sanguinis recta temperie ac debito fluxu positam esse dixerimus, patet cuivis, ubi temperies illa unde unde demum turbata est, aut fluxus ille a sanguinis copia retardatur, non esse remedium vel adjumentum phebotomia præstantius. Quapropter mire eam commendat schola Salernitana: (o)

Lumina clarificat, syncerat phlebotomia

*Mentes & cerebrum, calidas facit
esse medullas,*

*Viscera purgabit, stomachum ven-
tremque coerget.*

*Puros dat sensus, dat somnum, tædia
tollit,*

Att-

Auditum, vocem, vires producit & auget.

Ætatem autem phlebotomiæ aptam his versibus indicat: (p)

Ætatis medicæ multum de sanguine tolle.

Sit puer atque senex, tollet uterque parum.

Non minus Hippocrates & antiqui Medici in omnibus fere morbis & usi sunt hoc remedio, & suis in voluminibus posteritati relictis illud multis extollunt laudibus. Certe Hippocrates (q) rectam morbos curandi rationem totam tum in dando id, quod deficit, tum in subtrahendo quod superfluum est, constituit, quorum primum per medicamenta, alterum per phlebotomiam fit. Verum his insuperhabitis ipsi quoque Medici hoc in negotio in diversas partes ac opiniones abeunt. Quidam ægerrime adducuntur ad fundendum sanguinem, etiam in morbis gravioribus: aliqui sunt eo plus prodigi, etiam extra morbi propinquum metum. Neque res hæc difficultatibus caret. Nam qui parcí sunt sanguinis, pri-

(p) *Cap. 10x.*

(q) *Lib. de flat.*

mo ajunt, hunc esse thesaurum humanæ
vitæ pretiosissimum : thelauros autem au-
geri potius, quam diminui ab omnibus ;
cum ejus prodigentia vitæ ac spirituum
jacturam esse conjunctam. Secundo ad
experienciæ tribunal adpellant, quæ do-
cet, multos phlebotomia frequentius ad-
hibita ita viribus exhaustos fuisse, ut dif-
ficulter, nec nisi post longas moras cor-
pori vigor potuerit restitui. Tertio,
quot sunt, qui absque hoc remedio un-
quam admisso ad extremam usque sene-
ctam pervenerunt? Quarto demum, ne-
mo inquiunt boni sanguinis nimium habere
potest: quodsi malus hinc inde se admi-
scat, ad quid opus est aperire portam
adeo latam, per quam cum malo simul
& bonus sanguis aufugiat? aliæ sunt viæ,
per quas peccans expellatur, scilicet per
sudorem, per diætam, per medicamenta,
quæ absorbentia vocant. At qui contra-
riæ factionis sunt, non minus prompte
quam docte respondent. Primo equi-
dem, thesaurum esse sanguinem, quam-
diu gaudet debita crasi seu temperie, ac
leni circuitu, tanquam vitæ ac sanitatis
fonte: his autem deficientibus thesaurus
esse desinit, ita ut morborum potius se-
minarium fiat, id quod vel maxime con-
tingit, si adsit nimia sanguinis copia. Por-

ro non tantopere, ut jactatur, per phlebotomiam debilitari corpus censem, ut non brevi vires amissae reparentur; & quidem in homine ciborum appetente ac fortis stomachi intra paucas horas. Quis ignorat morem Gallorum & Italorum, qui calidis in febribus intra modicum temporis spatium quinque aut septem cibus sanguinem foras mittunt? quin potius videmus illos, qui plethora laborant, laborare pariter ut plurimum membrorum & virium debilitate, qua tamen subito per phebotomiam liberantur. Dein non adeo multos est reperire, qui absque ulla phebotomia utuantur bona & longa valetudine, suntque illi solum, qui vel a parentibus egregium & undequaque sanguinem temperamentum, dum primo formabantur, acceperunt, quod paucis contingit, vel qui per accuratam diætam ab humorum maligna vi & abundantia sollicitate sibi cavent (& quot sunt isti?) aut qui continua laboribus occupati per copiosum sudorem emittunt, quod alii per venam apertam. Denique non satis est inquiunt, sanguinem esse bonum; oportet etiam ut non sit nimius, ne malus fiat. Duo enim sunt, quæ ad boni sanguinis indolem requirunt, primum ut sit fluidus, purus, & dives spirituum: alterum

rum ut ejus massa seu quantitas venarum & arteriarum vasis ad transvehendum destinatis sit rite admensa.

XXXVII.

Nolim ego me inter partes litigantes, & quidem in re tam ardua, judicem constituere: illud mihi videtur verosimilius esse, quod iis, quibus copiosa domi penus est sanguinis, phlebotomia debitum cum cautelis instituta admodum sit salutaris, quandoque etiam necessaria. Nam si alia omnia abessent, a natura discere debemus, quid per artem faciendum sit. Certe naturae beneficium esse agnoscimus in multis, qui non raro magnam etiam purissimi sanguinis copiam e naribus effundunt; item qui sanguinem infectum atque impurum per venas *bæmorroidales* emitunt, ipsa natura eo, quod nimium vel noxiun est, quæsita opera se exonerante; quod si non fieret, gravissimorum morborum & vitæ periculis ejusmodi homines forent expostiti, quemadmodum non paucis accidit, apud quos improviso fato sublatos facta corporum anatomia aut ruptæ præ sanguinis abundantia venæ, aut ejusdem pigrorum fluxu furtive nati polypi fuerunt de-

tecti. Unde Hippocrates (r) asserere non dubitat, sape homines etiam maxime sanos, vegetos & fortes eo propinquiores esse fato, quo magis ab eo remotos se credunt, si non in tempore malo latenti occurruunt, & quod abundat in corpore, evacuent. Quippe sanguis etiam florentissimus sensim in arterias exiguae sese insinuat, in iis addensatur, & ubi stagnare incipit, putredinem generat in partibus vitalibus, easque demum accedit, ita ut nullis medicis potionibus incendium hoc restingui queat. Ut autem hac in re rectum ferri judicium possit, discernique quibus prospicit, quibus obsit phlebotomia, sollicite attendendum esse monent rerum experti ad vasā, per quae sanguis circumvehitur, num lata potius quam angusta sint, aut vice versa; id quod vel propria, vel Medicorum inspectione facile deprehenditur: plerumque pingues angustioribus, macilenti vero latioribus gaudent: quamvis & alia signa sint, quibus plethora se prodere solet, uti caput obtusum ac grave, membra præter morem lassa, pectus pondere pressum, insomnia, & respirandi facultas difficultis. Quodsi vasā, de quibus memini, sint angustiora, multum con-

du-

ducit ad sanitatem phebotomia, cuius rei ratio in promptu est. Quippe sanguis quum non inveniat satis amplum se circumagendi spatium, nisi subtrahatur portio quædam, nimium addensatur, ac vi quadam in venulas & arteriolas, quæ undique in partes vitales, hepar, pulmones, ventriculum, lienem, &c. dispensantur, sese exonerat atque intrudit, & quum retrogredi nequeat ob venas & arterias majores jam impletas, motu destitutus necessario computrescere incipit, & partes quoque vitales inficit atque corruptit. Si vero vasa sint latiora, plurimum nocet phlebotomia. Nam quum sanguis rarer sit, vixque implendis vasibus sufficiat, eo emisso succedunt in locum humores alii, qui sanguineam massam dividunt (constat enim meris globulis) & divisam acrimonia sua aggrediuntur, ac brevi tempore destruunt atque consumunt, quo sublato vitæ fonte corporis machina fatiscit & dissolvitur.



§. II.

Uſus Medicinarum purgantium.

XXXVIII.

Quod in horologio, aliove automato fieri videmus, id omnino in humani corporis machina solet accidere. Si recens a perito artifice confectum illud intueamur cum omni suo rotarum, tympanorum, lamellarum adparatu, & partium inter se nexus complexuque admirabili, æternum opus esse credimus. At quo longiori tempore progredivit, eo magis aeris injuria, pulvere, aliisque soribus vitiatur, ut statis quasi temporibus expurgari, inungi, reparari ac firmari necesse habeat. Ita sane quantumvis corporis nostri machina ab artifice natura perfectissime elaborata ordinataque sit, crescentibus tamen annis sic sensim inquinatur, atteritur, & velut exeditur, ut nisi medica manus accedat, & adhibitis pharmacis sentinam exauriat, læfasque partes vigori suo restituat, brevi collabatur. Paucissimi sunt, qui non quandoque comedendo & bibendo extra metas necessitatis abripiantur: multi malignos humores velut portionem hæreditatis paternæ maternæque secum in ducem

cem hanc afferunt : alii jam in ætate juvenili licentius vivendo bonam partem sanitatis pessum dederunt : alii studiorum aliorumque laborum contentionे nimia, vel indomitis animi patematis valetudinis vitium contraxere : etiam illi, qui austera satis diæta se defendunt contra morborum insultus, aut læsam sanitatem reparant, quandoque lenibus medicamentis indigent, quibus corpus expurgent, & fermentis, quibus naturæ deficienti succurrant. In hac autem communi tristique necessitate quædam maximi momenti proba notanda veniunt. Primum est, frequentem medicatarum potionem, similiumque vehementius evacuantium usum pestem esse corporis & sanitatis. Ovidius jam olim cecinit :

Temporibus medicina valet: data tempore profund,

Et data non apto tempore vina nocent.

Fatentur vel ipsi Medici cordati ac periti, omne medicamentum, quantumvis blan- diri videatur ægro corpori, afferre secum velut scorpionem in cauda venenum aliquod, seu vim irritantem, lepticam, ac eliquantem, quæ viscera aggreditur, & dum

dum sordes humoresque malignos avehit, simul etiam succos ad alendum corpus necessarios vel evacuat, vel corruptit non sine gravi virium jactura. Profecto dum per medicamenta sanitati consultur, semper aliqua ejusdem particula perditur. Quemadmodum enim macula e veste aut charta non eluitur, nec pannus crebro lavatur a sordibus, quin macula vestigium aliquod post se relinquat, & vestis, charta vel pannus atterantur pertundanturque, quamvis nitidiores fiant, ita etiam corpus frequentiori medicamentorum purgantium usu, licet ad tempus aliquod juvetur, sensim tamen exsiccatur, attenuatur, debilitatur, ita ut quandoque viscerum tonus, quem vocant Medici, plene pessumdetur. Alterum observatione dignum est, male robori corporis & temperamenti beneficio confidere illos, qui quotidie laute vivunt, nec a mensa surgunt nisi bene pasti potique: interea velut sui securi negligunt una alterave per annum vice sumpto medicamento corpus evacuare. Hi similes sunt navi, in cuius sentinam semper plures & plures sordes confluunt, nihil autem exhaustur. Quid superest, nisi ut improvise mergatur? Tertium denique, solcite cavendum, ne fortiora pharmaca adhibeantur ad corpus

cuandum. Hæc enim dum malignos humores cum excrementis violenter expellunt, irritant simul alios, & in furorem agunt, nec raro contingit, ut ventriculi tunicæ & os gravissime lœdantur, ita ut nunquam pristino restituantur vigori. Præstat, si opus sit, lenioribus uti, per aliquot tamen dies continuatis, usque dum stomachus & intestina probe purgata esse deprehendantur. Sunt non pauci, qui malis humoribus abundantes familiare sibi reddunt lene medicamentum aliquod vg. quas vocamus *pillulas* aut *rheubarbarum* in modica quantitate, ac semel singulis mensibus, nec sine proventu; quum hac ratione impediant, ne unquam nimia peccantis materiæ copia in corpore niduletur, quæ neglecta gravem cum tempore tempestatem facile posset excitare.

§. III.

Somnus & Aer.

XXXIX.

Duo naturæ principia statuit Aristoteles, scilicet motum & quietem: atque hæc ipsa duo vitæ ac sanitatis principia dici possunt. Si enim corpus hu-

humanum in perpetuo motu versaretur, cito machina hæc dissolutis attritisque nervis fatisceret; si in quiete continua, contracto eorundem torpore, ac impedito spirituum libero commeatu protinus hebesceret. Quapropter natura, ut viribus diurno labore agitationeque immunitis succurreret, de somno providit, qui unum e præcipuis ad sanitatem conservandam adjumentis est. Quippe spiritus per vigilias, & contentiones diei consumtos dilipatosque noctu restaurat, vires collapsas restituit, interiores corporis partes suaviter humectat, & crassos humores duplicato calore partim exhalat, partim absimit: ut nihil dicam, quod curas molestiasque, quæ per diem sèpius occurunt, procul abigat, & velut spongia in pectore abstergat. Verum ut profit somnus, inter aureæ mediocritatis limites consistere debet. Nam si sit immodicus, multum nocet, quia cerebrum nimis humectat atque relaxat; sanguinis quoque temperiem lentiore motu vitiat, spiritus obscurat & torpidiores reddit, menti demum & memoriæ segnitiem & stuporem quemdam affert. Non autem tam facile est certum somni spatium definire. Evidem Poeta canit:

*Septem horas dormire sat est juveni-
que senique.*

Sed non pauci Medicorum sunt, qui spatiū hoc partim cum virium robore, partim cum stomachi concoquentis facultate commetiuntur. Sic longius somni tempus indulgendum esse ajunt pueris, convalescentibus, & multo labore defatigatis tum ad vires acquirendas tum ad reparandas: non minus illis, qui debilioris stomachi sunt, aut qui ariditate bilisque acrimonia laborant, ut plus temporis habeant ad concoquendam indigestam massam, vel humectandas partes vitales, aut ut acriorem lympham per sudorem emittant. Gravior quæstio est de tempore somni. Convenientissimum absque dubio est nocturnum tempus, nempe post unam alteramve a cœna horam, præmissa levi deambulatione. Cavendum autem summopere, ne studia literarum aut seria negotia in longam noctem protrahantur. Sed quid de somno, quem non pauci post meridiem capere solent, dicemus? Sunt qui cane pejus & angue hoc somni genus esse credunt, & fugiendum suadent. Nam ajunt, cocturam in ventriculo plurimum impediri laxatis per somnum nervis & tendinibus, spiri-

tus quoque nimio humore opprimi, gravari caput, multisque ac crassis vaporibus impleri, caloremque nativum hebetari. Scholæ Salernitanæ prognostica de hoc somno sunt :

*Febris, pigrities, capit is dolor, atque
catarrbus*

Hæc tibi proveniunt ex somno meridiano.

Contra sunt alii, qui neutquam ita nocivum esse autumant, quin & salubrem pronunciant, tum quia spiritus suavi quodam rore, e vaporibus cibi benignioris nato recreat, tum quia vires laboribus studiisque antemeridianis fractas colligit: atque ita multos in extremam usque senectam salubriter eo uti videmus. At qui medium & forte securiorem viam tenent, somnum post meridiem vitandum esse censem, maxime illis, qui non jam assueverunt, & levi potius deambulacione aliave animi relaxatione arcendum; quamvis quandoque illum prodesse non negent quibusdam, uti senibus, & illis, qui regiones calori vehementiori obnoxias incolunt; quin & necessarium velint iis, qui noctes insomnes duxerunt, aut ex itinere defatigatis, vel hectica la-

borantibus, ut hoc remedio partes vel nimium fessæ, aut exsiccatæ reparentur vel humectentur. Interea tamen certis hanc suam sententiam conditionibus limitant, præscribuntque primo, ut somnus hic sit quam brevissimus. Secundo, ut non statim a prandio, sed interjecta mora & corporis moderata agitatione eidem indulgeatur. Tertio ut erecto corpore ac stellæ leniter incumbente suscipiatur. Hinc & schola Salernitana prognosticis suis præmittit :

Sit brevis, aut nullus tibi somnus meridianus.

XL.

Uti autem somnus moderatus, ita & aeris grata temperies multum ad sanitatem confert. Nam quum totum corpus pervadat aer, & in intima viscera penetrat, simulque elasticus sit, in tenues quoque ac teneras sanguinis particulas sese insinuat, atque in iis motum excitando ebullire facit ipsum sanguinem, e quo postmodum virtus se movendi in solidas quoque partes derivatur. Qua ex re facile patet, aerem serenum, siccum, & a vaporibus halitibusque defœcatum proficuisse plurimum ad ordinatum facilemque

sanguinis fluxum: contra vero admodum nocere aerem humidum, nimis calidum aut frigidum, multisque permistum fœcibus, utpote qui motum sanguinis retardat, & in humoribus fermentum summe noxium excitat, quo partes vitales graviter lœduntur. Atque hinc non defuerunt præclari Medici, qui solicite in aeris, ventorum, & plagarum indolem, dotes, affectionesque, quas producunt in corporibus, indagarunt. Orientalem plagam cæteris salubriorem judicant, quoniam ventus flans ab ortu longos terrarum tractus percurrit, a quibus plurimos halitus siccios veluti mutuatur, depositis humidis vaporibus, & aer temperate calidus est, præsertim qui mane spirat, & a sole purgatur foveaturque. Secundo loco ponunt Septentriōnalem; licet enim ventus & aer, qui hanc plagam occupat, a regionibus glacie ac nive obsitis adveniat, sitque plus quam decet frigidus & siccus, Austro tamen & Zephyro salubrior creditur, quoniam humorem superfluum abstergit, corpora constringit, firmat, & mobiliora expeditio-
raque reddit. Hinc experientia docet, in regionibus hyperboreis degentes (uti sunt Islandia, Grœnlandia, Norwegia, immo & Anglia & Scotia) aliosque mon-

tium

tium incolas longioris esse vitæ ac robore firmiores ob aerem frigidum ac depurgatum, quam sint illi, qui meridiem occidentemque versus habitant. Sequitur Occidentalis plaga, quæ frigidior est atque humidior, utpote vento ingentes oceanos peragranti, solique cadenti, qui non ita ut oriens exsiccare potest, obnoxia; quamvis si tempore æstivo cœloque sereno spiret, admodum gratus sit & blandus: item vere novo, ubi dulcibus pluviis, aureoque imbre terram irrigare solet, & primum solis æstum mitigat, ac generationi egregie deservit. Ultimum locum Australis plaga occupat, quum inde adflans ventus, magnis passibus trasiens per vastum mare mediterraneum, per magnas paludes, locaque solis æstui exposita, aerem reddat calidorem; quapropter in humoribus humanum corpus insidentibus tempestates excitat, non minus quam in cœlo, censeturque omnium maxime insalubris teste Ovidio:

*Lethiferis calidi spirarunt æstibus
Austri.*

Præterea etiam vi quadam *opiatica*, ut nuncupant Medici, & soporiferis spiritibus

bus caput gravat, omnibusque membris
languorem inducit, uti sane sape nimium
experimur. Quatuor harum plagarum
principes ventos brevi carmine comple-
titur Manilius (s)

*Asper ab axe ruit Boreas, venit Eu-
rus ab ortu,
Ausler amat medium solem, Zephyrus.
que cadentem.*


Quantumvis autem hæc, quæ de plagis,
vento & aere dicta sunt, ita se habeant,
fateri tamen oportet, hoc ad sanitatem
præsidio tueri se posse vix alios, quam
qui in republica quadam ut vocamus
Platonica versantur; immo ipse Plato
animadvertisit, illos qui rempublicam in-
colunt, sui juris haud esse, nec aerem
salubrem, ut lubet, eligere posse, quum
ut plurimum nequeant habitare ibi, ubi
vellent. Interea tamen non defunt indu-
striæ quædam hoc in negotio non omnino
contemnendæ, quales sunt: cubiculi fe-
nestras versus plagam minus salubrem
clausas tenere, præsertim sub vesperum
& nocturno tempore; contra aperire
versus mitiorem, sole non nihil altius su-
pra horizontem evecto: humidum aerem

mo-

(s) Lib. 4.

moderato ignis calore exsiccare : obambulare loca, ubi purus siccusque ventus spirat ; vitare vero vicinas paludes & aquas stagnantes : liberiore aura hinc inde frui foris in colle aut villa suburbana : si turbulentior instet aut frigidior aer, probe se vestibus munire ; si nimium calidus, & ad fermentum pronus, cibi potusque moderatione subtrahere vires nocendi. Certe parum lædere solet aer insalubrior eos, qui vitam sobriam ducent ac diætam amant. Nam quantumvis iniquior ille sit, raro tamen agreditur corpus ac seditionem excitat, si non illud jam antea male materia tum aut comparatum sit, & vitiosis humoribus infectum. Omnium tamen maxime proderit a teneris annis remota delicatore educatione assuescere ferendis aeris injuriis ; sic enim velut indurabitur corpus, & callum obducet, quem tam facile vis auræ malignæ penetrare non poterit.





CAPUT VIII.

VARIA MORBORUM GENERA.

§. I.

*Morbi Capitis, Quinque sen-
suum, Pectoris, Pulmonum, Cor-
dis, Ventriculi, Inte-
stinorum.*

XLI.

Morborum notitia uti Medicis est ne-
cessaria, ita ægrotis, immo & be-
ne valentibus perutilis esse vide-
tur: illis quidem ut sanent, istis vero, ut
intelligent ipsi, quo morbi genere labo-
rent, aut laborare possint, si non præca-
veant. Quapropter hoc in Capite varia
morborum, eaque præcipua, quæ diver-
sas humani corporis partes infestare so-
lent, simul & eorum caussas ac fontes pro-
de.

dere constitui, uberiorem Medicis, ad quos pertinet negotium hoc, explanatio-
nem relicturus.

Inter affectiones malas, morbosque
capitis primum locum obtinet ejusdem
Dolor, qui si recens ac levis fuerit, ce-
phalalgia: si contumax & diuturnus, ce-
phalæa, si in exigua capitis regione vel-
ut fixus hæreat, clavus seu ovum dici-
tur, oriturque vel a particulis heteroge-
neis teneras fibras meningum vellicanti-
bus, vel a sanguine ebulliente, vel ab
humoribus felle, sulphure aut sale in-
fectis.

Letbargus est sopor profundus cum fe-
bre lenta continuaque, nec non cum
delirio memoriæque eclipsi conjunctus.
Eius cauſa est pororum cerebri angustia
debitam spirituum animalium viam, se-
que expandendi vim impediens, vel aquæ
aut pituitæ abundantia, cerebrique inun-
datio.

Apoplexia est præceps motus omnium-
que sensuum abolitio, remanente sanguini-
nis pulsu, ac respiratione plus minusve
læsa; quando nimis poris ac meatibus
cerebri pituita vel crux spisso obstructis
motus sanguinis ibidem subito sistitur com-
pressis spiritibus. Est autem apoplexia alia

completa & per totum corpus diffusa : alia seu hemiplexia medium partem corporis afficit : alia unum alterumve duntaxat membrum, quæ paraplexia vocatur.

Paralyfis est extinctio motus in una vel pluribus partibus, deficientibus nimirum spiritibus, dum vel non influunt, vel non debito modo in partibus recipiuntur. Inter morbos autem capitis numeratur, quia originem suam dicit a spina dorsi ejusque medulla, nervis vel nimio frigore constrictis vel humore crasso repletis. Huic affinis est Paresis seu *Contractura*, ut vocant, dum motus non quidem ille, qui a natura, sed qui a voluntatis imperio procedere solet, aboletur aut diminuitur, fibrarum ac muscularum tono relaxato destructoque.

Convulsio, Spasmus, Epilepsia est morbus, quo nervi distenduntur, ac musculi versus principium suum retrahuntur, membris subito impetu per vices agitatis atque concussis : si totum corpus pervadat, Epilepsia seu morbus caducus vel Comitialis dicitur, estque cum mentis ac sensuum laesione conjuncta. Hæc accedit, quando tum teneræ nervorum fibræ in membranis humore acri ac maligno irritantur, tum spiritus animales turbulento motu in ner-

nervos, musculos ac cerebrum irruunt, & instar pulveris pyrii accensi exploduntur.

Vertigo est, quando res objectæ aut ipsum etiam caput in gyrum moveri creduntur, cuius rei cauſa est inordinata & fluctuans spirituum animalium motio, quæ cerebrum tanquam ſedem primariam afficit, quandoque cum aurium tinnitu coniuncta. Hanc autem excitare ſolent vapores vel e ſanguine ebulliente, vel a ſero aut bile effervescente ſurfum acti, motumque spirituum perturbantes.

Pbrenitis est apostema seu ulcus cerebri, quod in membrana & meningibus ab influente stagnanteque acriori ac fervescente ſanguine inflammatur, comitesque habet individuas febrim continuam acutam, delirium, & vigilias pertinacissimas.

Huic vicinum malum *Mania* seu infania, delirium ſine febre, ſed non ſine furone & audacia, afficitque cerebrum una cum spiritibus animalibus, nec non ipsum cor. Radix autem iſtius morbi ſunt iſtorum spirituum animalium fervida, ignea, ex acido & ſale acerrima intemperies, tum ſanguinis atra bile infecti crasis.

Melancholia eſt ſymptoma depravatæ imaginationis cum timore, mæſtitia, animique

que angore sociatum, dum in una cogitatione mens pertinacissime defigitur, & velut absorbetur. Nuncupatur animi corporisque tortor, flagellum & opprobrium Medicorum : estque alia *Cephalica*, alia *Hypochondriaca*, a loco, ubi mali sedes primaria est, sic dicta. Originem trahit e vitiis spirituum, qui quum natura sua puri esse deberent, lucidi, tenues, subtile cum ordinato motu, redduntur opaci, spissi, fulgine aspersi, fixique, qui rerum imagines velut umbra aut tenebris obductas representant. Gignuntur vero spiritus huius malorum e sanguine crasso, fæculento, acido, inque motu suo valde impedito, aut e fermento stomachi, succoque pancreatis & lienis vitiato, quo hypochondria obstruantur, & meatus liber spiritum intercipitur.

Rheuma, catarrhus, est humidum seri seu lymphæ salsa & acris e cerebro glandulisque vicinis oculorum, faucium, laryngis, asperæ arteriæ, in partes inferiores defluvium; quod si cum impetu ruat, non pauci obstructis respirandi in pulmonibus viis, & oppresso pectore suffocantur. Morbus hic ortum suum dicit vel ab humore acri ex fermento cibi non bene digesti aut natura sua falsi acidique ascidente in glandulas, quibus serum illud ac lympha constricti

strictis fibris postmodum exprimitur; vel a sanguine, quod sero, bile, pituita aliisque foecibus abundat, seque cum impetu in pulmones effundit, ibique stagnat. Plenumque autem defluvium hoc promovet aeris subito mutati, & nunc frigidi plus, nunc calidi vitium.

XLII.

A capite ad exteriōres corporis facultates sive sensus pergamus, qui non minus variis morbis, morborumque periculis sunt obnoxii. Oculos infestat non raro *gutta serena*, seu *Amavrosis*, qua aboletur vel diminuitur visus nullo sensibili in oculis vicio deprehenso, præterquam quod pupilla nigra & amplior appareat ob impeditam spirituum opticorum affluentiam. Caussa interior hujus mali est angustia pororum & tubulorum nervi optici, vel tunica retinæ nimium laxa & flaccida: exterior vero lapsus, percussio, solis lunæque frequentior aspectus, crapula, intempestiva studia, &c.

Affinis est *suffusio*, seu *hypochima, catarracta*, dum radii vel species visui servientes obstructa per materiam viscosam pupilla intercipiuntur, quo minus ad humorem crystallinum deferri queant; quod fieri solet, si humor excretus, qui initio tenuis, paullatim vero auctus in vasis aut nervis opti-

opticis addensatur, & in membranulam oculum obsidentem coalescit. Quare vi-tanda frequentior & diurnior ad lucer-nam lectio & scriptio, quin & aer ab Austro veniens.

Ophthalmia seu Lippitudo est inflamma-tio tunicæ adnatæ cum rubore, dolore, ar-dore ac lacrymis sponte cadentibus. Or-tum autem suum habet a sanguine nimium acri in ejusdem venuis diffuso & stagnan-te, uti ophthalmia sanguinea & humida: vel a subtili, salsa & acri lympha oculos mordente absque fluxu, quemadmodum Xerophthalmia seu sicca. Malum hoc quandoque hæreditaria quædam portio est, a parentibus proveniens; quandoque ab aeris intemperie proficiscitur, præsertim apud eos, quorum oculi justo plus pro-minent.

Albugo & Ungula. Prior si tenuis sit & superficiem occupat, nebula; si vero crassior & profunda, proprie albugo, græcis leucoma, dicitur: estque macula alba tunicæ corneæ, quam non raro ita densam reddit, ut speciebus, quas *visibiles* vocant, translum neget, dum scilicet humores crassi aut pituita inter tunicæ corneæ la-minas contenta sese oculo superfundit. Posterior vero est membrana dura & alba

instar panniculi e venulis cruentis & exili-
bus capillamentis contexti, atque ab oculi
angulo majore tunicæ adnatæ adhærens,
oriturque tum a sanguinis tum a lymphæ
vitio superius memorato.

Surditas est morbus aurium, quando
audiendi facultas plus vel minus, aut peni-
tus aboletur; unde quosdam surdastris, alios
omnino surdos dicimus. Varios habet na-
tales, cerebri intemperiem in auris orga-
num se exonerantem, vel lympham cra-
siorem in minutissimos tubulos se insinuan-
tem, vel organi exterioris cavam partem
humoribus obturatam, vel tympanum ni-
mis tensum ac siccum, aut nimis laxum
& humidum. Plerumque senilis ætas hoc
vitio laborat.

Hæmorrhagia narium est immoderata
sanguinis per nares effusio, apertis earun-
dem vasis, quæ contingere solet iis, qui
sanguinis abundantia seu orgasmo labo-
rant, vel quando humor acrior subtilem na-
rium venulas corrodit, vel si hæmorrhoi-
des in inferiore corporis parte suppriman-
tur. Vexat plerumque juvenilem æta-
tem, ubi sanguis præservidus, & tenera
ac imbecilla sunt vasa.

Angina seu *strangulatio* est affectio ma-
ligna summarum gulæ gutturisque par-
tium,

tium, sedemque suam figit in musculis laryngis, ac vicinis glandulis, quas sanguis stagnans & effervescens inflamat, tristesque post se comites trahit febrim continuam, difficilemque spirandi ac deglutienti conatum. Si invalescat angina, numeratur inter morbos acutissimos, nec praesente periculo caret dicente Hippocrate: (t) *Si febre detento nullo apparente in faucibus tumore strangulatio subito superveniat, lethale.*

XLIII.

A sensibus exterioribus ad partes corporis interiores, eorumque morbos investigandos prodendosque pergamus, atque in primis eos, qui pectus, cor, ventriculum & intestina solent affligere. *Asthma* est depravata respirandi potentia cum anhelitu & stridore, demum cum oppressione pectoris conjuncta. Mali autem hujus radix vel est in pulmonibus, vel in stomacho, & primis quas vocant viis: in pulmonibus quidem, quando pituita replentur, aut acrioribus falsisque humoribus a capite defluentibus laeduntur: in stomacho autem primisque viis, si a muco crudo, crasso, & vitiola suburra infestetur, quæ ventriculum distendit, & diaphragmatis liberum motum impedit, illudque continuo

(t) 4. Aphorism. 34.

nuo irritat. Comitantur asthma ut plurimum familiares hospites tympanitis, tumor hepatis & lienis, ac hydrops, usque dum æger suffocetur.

Pleuritis est inflammatio pleuræ seu membranæ illius, quæ costas cingit. Ejus genesis a sanguine derivatur nimium fervido, motuque sufflaminato, ut stagnare incipiat, & vasis suis egredi: Tum enim humore acri fibras vellicat, & cum febre acuta corpus infestat, accedente lateris dolore, tussi ac sputo cruento. Accidit hoc malum frequenter illis, qui postquam corpus incaluit, aeri frigido sese exponunt, aut post ejusdem corporis æstum frigido nimium potui indulgent.

Phtisis seu tabes pulmonum est eorundem exulceratio nata ex acri & roden-
te materia, comitantibus sputo purulento,
tussi continua, & febre lenta, quæ sensim
corpus exedit, & vitales partes depasci-
tur. Provenire autem solet a nimia san-
guinis, & lymphæ e capite destillantis vel
cum sanguine advectæ acrimonia, qua
glandulae ac vesiculæ pulmonum infarciun-
tur, intumescunt, & indurantur, usque
dum tota hæc corporis pars inflammata
in ulcus abeat.

Pal-

Palpitatio cordis, quo fortí systoles motu vehementer & cum impetu cor contrahitur, quando nimirum teneris ejusdem fibris irritatis accedente spasmo irrumpens sanguis diutius quam par est, in corde moratur, & stagnare incipit. Plures numerat fontes morbus hic, scilicet vel hydropem pericardii, vel vermes intra pericardium, vel nascentem polypum, vel sanguinem vitiatum, nimisque turgescensem.

Deliquium animi, quod Aurelius solutionem naturae, Paracelsus *cordis paralyсин* & fulmen microcosmi adpellant, est præceps subitusque virium omnium lapsus, cum pulsu venarum admodum tenui, veluti diffugientibus vitae spiritibus, unde totum corpus eclipsin patitur. Graviores morbos in ægris multum debilitatis vel comitatur, vel antecedit, vel subsequitur, dum sanguis effetus & in vappam abiens ac spirituum expers languet, motumque deperdit. Hippocratis effatum est: *Qui frequenter & vehementer citra manifestam caussam animo linquunt, derepente moriuntur.*

Cbylificatio læsa est morbus ventriculi, dum non rite alimentum concoquit, nec debita gaudet fermentandi virtute, quod variis modis contingit, vel ex defectu spi-

rituum, vel ex oppresso calore stomachi, unde cibi manent indigesti, vel ex aciditatem massam digestam corruptente; vel ex bile in stomacho dominante, vel demum & maxime ex tono fibrarum laeso, atque ita ad chylum rite parandum impotente. Hujus mali intus latentis caussa plerumque foris est, dum in cibi potusque quantitate peccatur. Est morbus hic chronicorum morborum fœcunda parens, & laeso semel gravius ventriculo vix aliud superestremendum, quam diæta studiose observata.

Cholera est assidua & immoderata humoris pravi, acris, & corrupti per superiores inferioresque vias violenta excretio cum ventris ac intestinorum dolore, praecordiorum anxietate, nec infrequentia deliquio. Oritur autem ex intempestivo ac turbulentio ventriculi & intestinorum motu corruptos humores sursum ac deorsum dejiciente: hic vero motus excitari solet ab ipsis humoribus falsis, acidis, & bile in intestino duodeno effervescente irritatis. Est malum hoc acutissimum, nec periculum vacat, nisi absque mora, leni tamen manu medica emolliatur.

Inflammatio ventriculi fit, quando sanguine in ejusdem tunicas effuso, stagnante ac putreolcente intumescit. Comitatur hoc

Ium integra cohors aliorum, febris ardentissima, dolor vehemens, nausea, vomitus, fitis non extingueda, vigiliæ, spasmodus.

Colica tristissimus morbus intestina tortuet, præcipue colon, unde colica dicitur, oriturque vel a fœcibus induratis, acidoque austero, vel a bile nunc in intestina, nunc in eorum membranas & plicas, quibus fortiter inhæret, effusa, vel a materia acri & acida mesenterium invadente; unde fit, ut vehementer irritentur fibrae intestinorum, alvus pertinaciter claudatur, & umbilicus intromitum retrahatur cum doloribus fere ad insaniam usque cruciantibus.

Ot Volvulus seu *Passio Iliaca* est motus intestinorum inversus, convulsis vehementer iis, quæ Illeon & Cæcum appellant; insuper ventre crudeli dolore supra umbilicum exagitato: demum etiam retracto ano excrementis per os ejectis. Ejus caussa sunt intestina ipsa, si retenta materie dura & exsiccata inflammentur, aut mutuo inter se implicentur vel ulcere irritata, vel per herniam in aliud situm translata. Tum enim motus intestinorum peristalticus sus deque vertitur, & præclusa inferiore via omnia sursum impelluntur.

Diarrhæa & *Dysenteria* sunt morbi, qui intestina & alvum infestant: prior quidem, quan-

quando varia liquida corruptaque excrementa continuo profunduntur, relictis crudioribus, dum biliosi acidique humores omnem alimentum statim aggrediuntur, & maximam partem liquefaciunt, glandulis nervisque intestinorum irritatis: posterior, quando peculiari quadam acrimonia humorum, ex esculentis & potulentis fructuum non maturorum, uvarum, musti, &c. ut plurimum proveniente, stimulatis exulteatisque intestinis excrementa cruenta inter gravia alvi tormina foras expelluntur.

Lumbrici sunt animalcula lumbrici formam præferentia, quæ in intestinis generantur ac nidulantur, eorumque functiones impediunt. Alii horum sunt oblongi & teretes, alii lati instar fasciæ. Originem ducunt plerumque a seminibus & ovulis, quæ muscæ in alimentis, aut vermes in caseo, lacticiniis, saccharo, &c. deponunt, intrus sumtis, quæ a stomacho debili & pituita repleto destrui nequeunt, & accedente putredine, qua maxime foventur, in vermes & lumbricos, quos dixi, abeunt, qui postea stomachum, præsertim jejunum continuo vellicant lancingantque, & alimentum corpori necessarium absument, quandoque fauces insident & suffocant. Heic velut insidiis opus est, ut caput lumbrici deprehendat.

hendatur, quo non ablato aut enecato
semper magis magisque succerescunt.

Hemorrhoides sunt, dum sanguis pec-
cans ex intestini recti vasis nunc majori
nunc minori quantitate sepe exonerat. His
non raro subjecti sunt, qui hypochondria,
splene, aut cholera laborant. Si non ni-
miae sint, potius inter sanitatis præsidia,
quam inter morbos numerandæ sunt; hinc
affectio aureæ venæ nuncupantur. Quip-
pe a multis aliis humanum corpus malis li-
berant, a melancholia, a scorbuto, scirrho,
tumore viscerum, dolore capitis, &c. At
si diutius durent, majoreque copia sanguis
effluat, vires prosternunt, & in cachexiam,
hydropisin, tabem, apoplexiā facile de-
generant.

§. II.

*Morbi hepatis, Lienis, Mesenterii, Re-
num & Vesicæ: item Febres.*

XLIV.

Nunc ad alios, qui memoratis partibus
infesti esse solent, morbos digredia-
mur. *Intemperies calida hepatis* est mor-
bus admodum familiaris, multorumque alio-
rumque chronicorum parens. Nam quan-
do incalescit hepar, stomachum vicinum
debilitat æstu suo, motumque peristalticum

lædit; unde cibi male digeruntur. Præterea dum intumescit, vesiculam sellis subiectam comprimit, ipsumque fel per duodenum in stomachum protrudit, unde humorum omnium seditio proficiscitur. Accenditur autem hepar a sanguine, si abundet ac violenter in venulas hepatis intrudatur, non tam facili labore redditurus. Qui hoc morbo laborant, plerumque cibum salubre nausent, alvum gerunt adstrictam, tacitaque febri absimuntur.

Præterea sunt quædam malæ affectiones hepati, lieni, & mesenterio communes, uti *inflammatio & ulcer*, *obstruētio*, *scirrhus*. Prima oritur, quando sanguis acrior in partes illas exundans stagnare ac putreficere incipit non sine tumore ipsarum partium: altera fit in prædictis partibus, ut propter ob vasorum copiam, angustiam & mæandros huic fato velut sponte obnoxiis, si alimenta crassa, cruda, pinguia, visco plena (uti sunt saccharum, mel, olera) item vina crassa & dulcia adhibeantur, corpusque debito motu destituatur. Tertia seu scirrhus, quo eadem partes intumescunt & indurantur a memoratis spissis humoribus, atque a functionibus suis, præcipue a sanguine puro transmittendo impediuntur, malo in totum corpus redundantem.

Ileus, cui affinis est *Cachexia*, totum corpus pervadit, coloreque flavo, pallido, ac plumbeo tingit, qui inertiam ejusdem, palpitationem cordis, difficilemque in ascensu acli vi respirationem, non raro lentam tabem post se trahit. Utriusque parentis est vitium bilis tenacioris, fermenti & acidi austerioris, ac facultatis, quæ nutriti endo servit, prostratae.

Hydrops & Tympanitis sunt morbus, quo abdomen intumescit: in hydrope quidem ab aqua & sero intercute; in tympanite vero a flatu crassiore, admixto plus minus sero. Primi genesin statuunt Medici in læsa digerendi potentia, seu per intemperantiam cibi potusque, præcipue vi ni fortioris, seu per alios morbos præcedentes non ex integro depulsos, maxime febres. Ipsa vero copia aquæ ac seri subministratur ex ruptis vasis lacteis ac lymphaticis, dum aliæ vapores humoresque, præsertim urinam, emittendi viæ obstruuntur. Secundi caussam assignant vel materiam crudam, crassam & fisco infectam, a calore debili in flatus dissolutam, vel depravatam bilis, succi pancreatici & melan cholici temperiem, cui admixta pituita effervescit, & in bullas densosque halitus elevatur, intra tunicas mesenterii conclusos.

Hæc

Hæc altera hydropis species seu tympanitis curatu difficultima est, & plerumque fatalis, quum ejus initia vix advertantur, & subito accrescat, stetque præ foribus hostis, nec vi nec arte depellendus.

Hypochondriaca affectio est morbus e colluvie vitiosorum humorum in partibus primæ ac secundæ coctioni famulantibus, & ex depravata per acidum crassi mesenterii profectus. Partem affectam hoc malo alii credunt esse lienem, alii mesenterium, utpote fontem sexcentarum ærumnarum, alii omentum ejusque cavum, alii ventriculum & pancreas. Illud certius, quod varius vel imitetur vel mentiatur morbos, quemadmodum experientia docet, quod qui sunt huic obnoxii, nunc hanc, nunc illam, nunc plures corporis partes ægras esse multis conquerantur, vel mali se diffundentis, vel imaginationis læsæ vitio. Cæterum affectio hæc ut plurimum lethalis non est, diurna tamen, quæ clientes suos nonnisi diu multumque vexatos, & confringentes deserit, saepe etiam ad mortem usque comitatur.

Scorbutus est morbi genus Hollandis, Flandris, Frisiis, Westphalis familiare, Hispanis, Gallis, Italies, Germanis non adeo notum, oriturque a sanguine per aerem ma-

O 5 ri-

rinum, & falsos fumigatosque cibos ad peculiarem acrimonie gradum elevato. Infestare solet hostis iste os, gingivam, crura, pedes, & brachia, non sine dolore ac lenta tabe.

Calculus est morbus, qui renes & vesicam afficit, dum substantia quædam dura & solida e succo crasso & acido, atque materia fæculenta & tartarea, potissimum urinæ, initio in sabulum, postea in lapidem degenerante prognata vesicam infestat. Huic malo ætas virilis, plus etiam senilis obnoxia esse solet, illa ob angustiam & siccitatem renum, ista ob debilitatem vim expellendi. Huc pertinet *Nephritis*, quæ dolor renum est, ortus vel calculo majore, vel arenulis & sabulo, aliaque falsa materia renum glandulas, eorumque tubulos fecernendo fero destinatos non solum obstruente, verum etiam fibrillas rodente ac vellicante cum ingenti doloris sensu.

Ischuria & Stranguria. Prior est, quando urina vitio vel renum, vel ipsius vesicæ retinetur & supprimitur, quod vel a sanguine vitiato, vel ab ulcere renum, vel ab humoribus crassis & visco plenis, vel deinde a calculo vesicæ os & portam obsidente provenit: posterior accidit, si urina nimium acris & salsa in vias, per quas trans-

transit, velut spicula sua infigens non nisi
guttatum & cum dolore acerbissimo effluit.

XLV.

Sequuntur modo illi, qui partes exte-
riores, membrorumque articulos affligunt,
morbi: quos inter nominatissimi sunt, & ob
affinitatem vel omnino consanguinitatem
a se invicem vix disjungendi, *Artritis*, *Po-
dagra*, *Cbyragra*, & dolor *Ischiaticus*. Est
autem Arthritis, quam Paracelsus morbum
Tartareum nuncupat, dolor articulos mem-
brorum obsidens, pungens, lacerans, exci-
tatus ab humore acri per periodos inva-
dente, motumque impediente. Materiam
plerumque subministrat serum falsum, aci-
dum & tartaro refertum, vitio diætæ, ac
laſſe primæ secundæque coctionis. Porro
Arthritis alia est *universalis*, quæ plurium
membrorum articulos occupat, vincosque
tenet cum ingenti dolore, cordis anxietate,
atque calore febrili. Particularis alia, quæ
in uno tantum alterove articulo domina-
tur, estque vel fixa, quæ finibus suis non
egreditur, vel vaga, quæ ad instar fatui
ignis hoc illucque circumfertur, dolore
mordaci comite individuo. Prior seu fixa,
si pedes obsideat, *Podagra*, si manus in ca-
ptivitatem redigat, *Cbyragra*, si coxendi-
cem aut os sacrum occupet, dolor *Ischiati-
cus*

cus adpellatur. Aliquando mala hæc sunt portio hæreditaria a parentibus relictæ, sæpius a sanguinis humorumque acrimonia gignuntur, fere semper ab ingluvie & gula, crapula & facundis calicibus originem trahunt, nec nisi ferrea patientia expiantur.

Atrophia est tabes, qua vel totum corpus, vel quædam illius pars deficiente necessario nutrimente extenuatur & arescit; id quod contingit, si vel ob inediam chylus non sufficiens generetur, vel alimento assumtum vitio fermenti male digeratur, vel deficiente bile aut succo pancreatico non rite distribuatur in vasa sanguini confiendo destinata, vel massa, quæ in alimentum cedere deberet, obstructis viis ad partes nutriendi facultate præditas non perveniat. Ex hac mala radice pullulant pejores surculi: tussis sicca, sudor copiosior quam par est, febris depascens, languor membrorum, macies extrema, & vigoris omnis dissipatio.

Præter hos alii quoque seu hostes seu hospites ingrati quamplurimi exteriores corporis partes non raro cruciant & afflidunt, quos universe sub nomine *inflammationum* & *ulcerum* complecti licet, uti sunt *Erysipelas*, *carbunculus*, *cancer*, *gangræna*, *Iues gallica*, &c. quæ genesin suam habent

a san-

a sanguine accenso, humorum acrimoniam, sero & lymphæ salsuginem, viscerum putredinem, bilis & acidi dominante intemperie.

At omnibus his morbis, qui rempublicam humani corporis turbare solent ac indiscrimen adducere, frequentior & familiarior est *Febris*, quæ vel sola tyrannidem in eam exercet, vel seditionis socios, alios nimurum morbos comitatur. Universæ Febris est intemperies calida cordis, & totius corporis a calore in corde accenso, & spirituum ac sanguinis circuitu in omnes partes diffuso, accedente humorum peccantium fermento vel intestino, vel foris advecto, cuius ope irritata natura conatur fluctuantque separare a se ac eliminare, quidquid præter naturam ipsi accidit. Plerumque initium dicit a frigore & horrore, sequente postmodum calore plus aut minus intenso, ac in sudorem desinente, quamvis calor non raro præcedat, & frigus sequatur. In plurimos radicem hanc fœcundam ramos dividunt Medici: in *Ephemeram* seu unius diei, in *intermittentem*, & hanc in *tertianam*, *quartanam*, *menstruam*, *continuam*, *hecticam*, *lentam*, *acutam*, & *malignam*, quæ omnes diversis symptomatis & paroxysmis sese prodere solent, quibus pro-

be

be observatis medica manus succurrat
necessa est.

Quamvis autem una ex parte plurima
(uti e notioribus istis, quos in medium pro-
duxo, licet intelligere) morborum genera-
sint, quibus humanum corpus obnoxium
est, ex altera vero parte non pauciora
quoque medicamenta & alexipharmacalia
reperiantur, quibus ægro corpori medela
possit afferri, nihilominus fateri necessa
est, quosdam esse morbos, qui vel om-
nem medicam artem eludant, vel nullam
satis potentem ad sui curationem medi-
cinam admittant. Satis ingeniose horum
indolem describit Ovidius: (u)

*Non est in Medico semper relevetur
æger:*

*Interdum docta plus valet arte
malum.*

*Cernis, ut e molli sanguis pulmo-
ne remissus*

*Ad stygias certo tramite ducat
aquas.*

*Adferat ipse licet sacras Epidaurius
herbas,*


*Sanabit nulla vulnera cordis opè.
Tol.*

(u) *Lib. I. de Ponto.*

Tollere nodosam nescit Medicina podagrum,

*Nec formidatis auxiliatur aquis.
Cura quoque interdum nulla est medicabilis arte,*

Et si sit, longa est extenuanda mora.



C A P U T I X.

M E T H O D U S M E- D E N D I.

§. I.

Cognitio Morbi.

XLVI.

Non heic agere constitui de methodo, quam in medendo morbis adhibere Medici debent (a quo confilio longe abest instituti mei ratio) sed de illa, quam præstantes Archiatri, ut ex illorum libris patet, adhibere solent ac præscribere. Et vero hujus rei cognitio non parum proficuisse videtur ægroto, tum ut ipse intelligat, quid rerum agatur secum a Medico, cuius peritiæ, & ut ajunt manibus le vitam-

tamque suam committit, tum ut recte se-
cuin agi sentiens ad majorem fiduciam &
obediendi studium excitetur. Plerumque
in adhibenda curatione natura & ars mu-
tuo velut födere sociantur. Natura qui-
dem vires exerit, quas & quantum potest,
vel ad partes læsas reparandas, vel ad no-
xios humores expellendos, vel ad restituend-
um nervorum venarumque tonum. Hoc
vel maxime in brutis observare licet, quæ
sine arte sine Medico vivunt, natura vices
supplente, quæ etiam non raro suggerit
ipsis vel abstinentiam ab alimento per plu-
res quoque dies, vel notitiam & usum cer-
tarum herbarum malo intestino meden-
tium. Nihilominus in hominibus eadem
natura sociam operam a manu medica &
pharmacis exspectat. Quodsi enim velut
prostrata jacet, vixque apta, ut officio suo
fungatur, arti locum cedit, cuius tunc est
fugientem vitam fistere medicamentis, &
naturæ vim quasi ignem intermortuum, &
sub cinere latentem resuscitare. Atque
hinc Medicus quandoque adjutoris solum,
aliquando autem primarii opificis munere
fungitur. Ubi autem natura adeo viribus
exhausta est, ut jam nihil de suis facultati-
bus contribuere queat pharmacorum vir-
tuti, conclamatum est, nec ullum seu a na-
tura seu ab arte remedium exspectari po-
test.

test. Quapropter prima Medici cura est, ut ægroti naturam ejusque vires modis omnibus exploret, ac intime perspectam habeat, eum in finem, ut auxiliarem manum eidem male affectæ porrigere, imbecillem fovere, cadentem sublevare, sublatam corroborare, ac demum præsenti eripere discrimini valeat. Universæ vero illius officium est, ut *cito, tuto & jucunde* adferat remedia: Cito quidem, antequam maligna vis morbi vires suas penitus exerat, ac malum invalescat, monente Ovidio:

Principiis obſta, ſero medicina paratur,

Cum mala per longas invaluere moras.

Tuto, ne præceps sit vel præscribendo pharmaca, non prius ad examen vocata morbi radice, symptomatis & signis diagnosticis, vel adhibendo vehementiora, quam ægroti vires patiuntur, aut talia, quorum virtus sibi minus cognita est. Jucunde, quod fiet, si afflictum clientem blando eloquio ad spem erigat & fiduciam brevi recuperandæ sanitatis, si tamen periculum non sit oppido propinquum aut proximum; quippe plurimum adjuvat medicamenti prosperum effectum æ gri animus sibi constans, & boni

BIBLIOTH. DOMEST. LIB. X. P suc.

successus exspectatione plenus, dum contra
pusillus & spe dejectus maxime nocet, si-
quidem corporis morbo etiam animi ægri-
tudo accedit.

Porro ea est morbi cuiusvis indoles, ut
profligari nequeat, nisi hostem admoveas,
& in ipsa fronte aciei opponas, nimirum
ejusmodi quid, quod antipathiam cum mor-
bo ac morbi radice gerat, quemadmodum si
frigus calore pellas, aut quod repletum est,
evacues, aut quod amarum, dulce reddas.
Unde lex esto perpetua: curationem fieri
oportere per contraria. Quapropter illo-
rum sententia, qui morbos nonnunquam si-
milibus curari docent, sic est intelligenda,
quod remedia, quæ licet cum morbo simi-
litudinem habere videantur, ejus tamen
caussæ ac radici omnino adversentur, uti
contingit, si vomitus vomitu curetur, tol-
lendo materiam peccantem, & exonerando
fentinam corporis. Unde quot morborum,
tot medicamentorum genera sunt consti-
tuenda, quorum nunc simplex sit, nunc
mixta temperies, nunquam tamen contra-
rio carens, quod ad vires ægritudinis
frangendas adhibeatur.

XLVII.

Quodsi morbi genus vel species Medi-
cum lateat, & hic ad ejus radicem necdum
pe-

penetrare queat, trahenda potius mora est, nec festinata remedia sunt adplicanda, sed parumper exspectandum, an non ipsa natura malum absconditum detegat, vel mali vim supremam superet; aut certe si medicamento experiri opus sit, ejusmodi hoc esse debet, quod in re ancipiti damnum gravius inferre nequeat. At explorata mali indole prima Medici cura eo vertitur, non tam ut illius effectum, quam caussam procul amoliatur, divinato interim ad brevem patientiam ægroto. Submota enim caussa facili labore effectus tolletur, vel sponte omnino migrabit. In iis vero affectionibus, quæ connexæ dicuntur, initium curationis ducere oportet ab ea, quæ prior est origine, licet investigatione posterior sit. Vexatur aliquis gravi capitum dolore ac pertinaci, ubi deprehensum fuerit, exuberantis vitio bilis id accidere, hæc aptis remediis prius dometur, ac sensim cum excrementis depellatur; secus cephalæa non tantum non expugnabitur, sed majus sumet incrementum & invalescat. Si plures affectiones malignæ inter se conveniant, efficiantque quasi catenam malorum, is est curationis ordo observandus, ut semper, quæ origine prior est, cedere loco cogatur. Sunt autem morbi quidam, quorum alii vocantur disparati, seu tales, qui

pluribus in partibus corporis, & satis am-
plo a se intervallo disjunctis nidulantur.
Hos singulos aggredi uno velut assaultu, seu
una quidem curatione licebit, diversis ta-
men remediis; nec refert, cui primum, cui
dein, cui postremo medica manus subve-
niat, quum intactis cæteris morborum sedi-
bus unicuique proprium applicari pharma-
cum queat: alii complicati dicuntur, vici-
nis in partibus habitantes, qui si familiares
fuerint, unica curatione vinci poterunt: se-
cūs si contrarii, tunc enim temperatis opus
est remediis, eamque in partem primo cura-
vertenda, e qua cæterarum sanitas pendet.
Nihilominus quando affectiones connexæ
sunt, non raro medendi methodum auspicari
necessum est ibi, ubi morbi magnitudo aut
læsæ functionis granditas se prodit. Unde
si majus periculum imminet ab his, quam
a virium prostrato vigore, contra eas omni
conatu niti debet Medicus, relicta posterio-
re. Sæpe etiam contingit, ut morbo tan-
tisper insuperhabito symptomati obviam sit
cundum, quod vires nimium frangit, ægri-
que vitam in præsens discriminem adducit.
Non tamen certæ cuidam methodo nimis
religiose aut pertinacius insistendum est, ne
cum morbo pariter spiritus suffocetur.
Præter hæc in morbis expugnandis reme-
diorum mensura capi debet ab illorum ma-
gni-

gnitudine, considerando quantum æger a naturali statu distet, ac eousque progre-diendum, donec in pristinum statum restituatur. Hoc autem in levibus, atque etiam in extremis affectionibus subito & absque mora præstari jubet Hippocrates, in mediocribus sensim ac veluti pedatim. Qui viribus sunt imbecilles, iis lenta curatio necessaria est, celerior robustis, ut vis mali sistatur, priusquam in reliqua membra grassetur.

§. II.

Medicamentorum indoles & virtus.

XLVIII.

Jam vero remedii quantitatem metiri de-
cet non solum a morbi gravitate, ve-
rum etiam a partis male affectæ conditione;
qua in re quadruplici opus est considera-
tione, scilicet qua ratione formata sit pars
illa, rara an densa? quem situm obtineat,
an vicina sit ori nec ne? quam functionis
præstantiam, an sit principalis, vel toti cor-
poris inserviat compagi? quo sensu polleat,
num hebes sit vel acuta? quippe partes
densæ validiora exposcunt remedia quam
raræ: si ab ore remotiores sint, fortiora
porrigenda sunt pharmaca, quoniam non-
nisi refracta ac jam debilitata ad eas per-

tingunt: mitiora conveniunt membris præstantioribus, acriora ignobilioribus: & quæ sunt acri sensu prædita, hebetatis indigent remedijs. Probe autem notandum venit, per solam artem nunquam ægrotum in meliorem aut pristinum statum restitui, sed hoc postmodum naturæ beneficio & viribus, quas depulsa vi morbi sensim exerit, est relinquendum. Porro remediorum alia sunt, quæ evacuant, aliquæ solummodo immutant. Posterioris generis seu exterius seu interius adhibeantur, parti affectæ quam proxime fieri potest, adplicantur. Unde si caput sit purgandum, expeditissima via erit per nares, per os, per occiput. Si pectus male affectum sit, laxentur pori & maligni humores per sudorem prolixiantur. Hepati, ventriculo & renibus sanandis medicamenta per os demissa opem præsentem adferent. Parum autem vel nihil hac in re proficiet Medicus, anatomes scientia destitutus. Triplex vero methodus est evacuandi corpus, subtrahendique materiam peccantem: primus absque illius motu & agitatione, ut sit sudando, scarificando, &c. Alter quo humores in præceps dati emittuntur, ut sit per sectionem venæ & alvi purgationem, &c. Tertius, quum alio derivare oportet malignos humores, quæ partem aliquam pertinacius obsident, ut sit adhibendo cauteria,

in-

incisiones, emplastra, &c. Denique remedium formæ in duplici classe sunt constitutæ: vel enim sunt liquida, quæ male affectis partibus plus remotis convenient, quum facilius in eas devehiri possint: vel sunt solida, quæ vicinis etiam medelam adferunt, hoc discrimine, quod liquida aperiunt, laxent, aut resolvant; contra vero solida constringant, firment atque solident. Præparari tamen non raro materiam peccantem & curationi suscipienda viam sternere opus est, ut si stomachus aut intestina laborent gravi pituita, alioque humore viscido: hic enim non subito expellendus, sed prius attenuandus & emolliendus erit; tum facili negotio statione sua deturbabitur. At in febribus omnium primo exuberantis materiae portio evacuanda, reliqua dein vel calida frigidis vel frigida calidis secundum hostis latentis malas artes opponendo temperanda, & ope fortis diæta digerenda, demum per destinata ad hoc loca penitus sunt depellenda. Illud neutram quam prætereundum silentio, quod in morbis sanandis magna semper vicitus ratio sit habenda; & quidem ea, quæ singulis morbi crescentis vel decrescentis periodis convenit: initio tenuis, dum augetur, tenuior, dum velut stare, & nec regredi nec progressi videtur, tenuissimus.



C A P U T X. CRITICE MEDICA.

§. I.

Facienda Medico.

XLIX.

Non est animus, e trivio depromta
crisi nobilissimam saluberrimamque
Medicinae seu scientiam seu artem
perstringere, multo minus sarcasmis per
vulgi ora & theatra volantibus impetere
Medicos, quos tanquam vitae ministros
ac sanitatis custodes humano generi con-
cessos honorare jubemur. Expertus est
vindictam damno suo, ut fertur, Poque-
linus seu Molierius celebris ille Comicus
in Gallia, & ævi sui Plautus, qui post-
quam theatra facetiis in Medicorum tur-
bam liberaliter sparsis implevit, repenti-
no postmodum fato oppressus periit, nul-
lo ut ajunt Medicorum succurrere vo-
lente. Ea solum proferam, quæ hujus
scien-

scientiæ adeo necessariæ Candidatis seu facienda seu vitanda sunt, & quidem ipsorum hac in arte Magistrorum & grandium Machaonum judicio. Inter hæc facile primum est, ut intelligant illi, qui studium hoc, & Facultatem, ut loquuntur Academiæ, profiteri volunt, ac Æsculapio sacramentum dicunt, ut inquam intelligent, & priusquam primum pedem in limine figant, probe secum perpendant, quanti momenti negotium aggrediantur, quantumque onus humeris suis imponant. Pretiosissimum thesaurum suum, scilicet sanitatem & vitam æger committit Medico: hic si erret, errat damno irreparabili, & errat alterius impensis, cui & in ære & in cute lendum est. Quippe si Medicus vel ignorantia, vel incuria quemquam occiderit, qua ratione damnum hoc resarciet? Quod ab uno Theologo erratum est, corrigitur ab altero: si a Jurisconsulto, succurritur æquitate judicis, & *restituzione in integrum*, ut loquimur: at si a Medico, quis medebitur malo, ac vitam mortuo restituere? quapropter delectus habendus erit, proculque arcendi ab adytis Medicinæ, qui non apto ingenio, magna sedulitate, prudentia, ac morum probitate pollent. Certe mirari potius opor-

teret, quam gaudere, si tam multi inventantur, qui adeo periculosum munus in se suscipiunt, ac profiteri non dubitant, nescientes quantum id sit, quod in se suscipiunt. Audire juvat hac de re Plinium, (x) quamvis sint, qui iniquiore in Medicos animo quædam scripsisse illum credant: *Itaque inquit me Hercule in hac artium sola est, ut cuicunque Medicum se professio credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus.* Nulla præterea lex, quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. *Discunt periculis civium, & experimenta per mortes agunt.* Hinc sapienter cautum est in Academiis bene moratis, ut nemo in ea Facultate sine rigorissimo ac intemerato examine præmisso ad lauream Doctoris, multo minus ad Professoris cathedram admittatur: ubi non dissimilanda venit Magistratum hinc inde indulgentia, qui pro modico lucro Circulatores & Agyrtas per oppida & civitates grassari permittunt in publicam perniciem, dum male credulis ac inconsulitis de plebe hominibus nescio quæ alexipharmacæ & medicinas adversus omne morbi genus præsentes certasque vendunt,

(x) Lib. 24. Cap. I.

dunt, quibus s̄epissime gravius ægrotare aut omnino interimi emptores constat. Sunt enim ejusmodi medicamenta plerumque chymica, & mercurio ab indoctis male præparata, quæ viscera corripiunt, humores in furorem agunt, & partes vitales depascuntur. Accedit huic malo aliud non infrequens, dum privati homines in munus Medicorum involant, & ægrotis suadent ac persuadent arcana remedia, quæ Domestica vocant, longaque ut ajunt experientia comprobata, quibus quam certissime hunc vel illum morbum, ejusque vim omnem brevi tempore sublatum iri spondent. Unde nati esse videntur versiculi illi :

*Fingit se Medicum quisquis Idiota
profanus,*

*Judæus, Monachus, Histrio, Ton-
sor, Anus.*

Est equidem invenire varii generis remedia ejusmodi domestica, quæ magna facilique sanandi virtute pollent; sed hæc magnis cum cautelis sunt adhibenda. Aliquando profundit initio, ubi needum morbus invaluit; quandoque profundit aliquibus, qui simili gaudent temperamento,

to, nocent vero aliis; saepe prosumunt, si debita mensura & quantitate sumantur pro ratione virium aut stomachi, secus pessum dant omnem corporis vigorem. Non raro ægrotus morbis disparatis ac complicatis, de quibus alibi dictum est, obsidetur, ubi quod uni medetur, alterum irritat & auget. Hæc quum privatissimi ejusmodi medicis theoria & praxi destitutis minus sint explorata, quumque nihilominus & quidem clam archiatris adhibeantur, quin prius medicinam hujusmodi ad examen vocaverint, augscente vi morbi vocatur Medicus, rerum omnium inscius, & si minus prospere res succedat, omnis in ipsum culpa rejicitur, non sine grandi ejusdem & artis præjudicio.

L.

Quodsi autem tanti momenti, tamque periculosum est, ut audivimus, Medici munus, quod in se suscipit, oportet ut non minor sit ejus industria, immo maxima & indefessa, qua debitam scientiam & usum sibi comparet, seque totum studio Medico indulgeat, non quasi furtim & per otium. Oportet nosse quam exactissime humani corporis fabri-

cam

cam ad minimas usque fibras, venulas, officula, horumque omnium oeconomiam & harmoniam: perspectam habere partium solidarum & fluidarum indolem, affectionesque ac functiones: memoria complecti morborum omne genus, eorum radices, effectus, symptomata: herbarum, stirpium, liquorum, fossiliū, animantium vires ac virtutes seu simplices seu mixtas callere: pharmacorum, unguentorum, potionumque medicarum tam diversas fortes, temperaturas, mensuras quas *doses* vocant, harumque rerum & conficiendarum crasis, & applicandarum methodum & ordinem intime exploratum habere; atque hæc omnia scire ita, ut non primum discere debeat Medicus, ubi manus admovenda est: Deum immortalem! quantus hic quamque amplius studiorum laborumque campus? Duplex heic grandeque periculum committere potest, quisquis artem hanc profitetur, si vel non probe hac scientia ejusque adminiculis instructus velut in aciem prodeat, & ad praxin se transferat, vel si postquam huic sese indulxit, quasi munere suo plene perfunctus librorum lectioni ac studio privato valedicat. Non omittam, hoc in loco referre gravissimum Ludovici Vives de re ista judicium, seu
po-

potius crisiū, dum agit de disciplina Me-
 dica : (y) „ Illos vero, inquit, qui artem
 „ in usus generis humani convertunt, ubi
 „ primum sese publicis utilitatibus con-
 „ secrarunt, nolim amplius ad ulla alias
 „ disciplinas & artes divertere. Est enim
 „ in hac una satis superque quod agant
 „ vel vita universa, quamlibet diurna &
 „ longa. Itaque non ferant eum, qui
 „ ad opem hominibus ferendam accersi-
 „ tur, Ciceronem aut Demosthenem,
 „ Virgilium & Homerum lectitare: mul-
 „ to minus auctores aspicere artis gram-
 „ maticæ. Sed nec historicos atque Phi-
 „ losophos, nisi qui adjumenti aliquid
 „ adferre possint iis, qui salutem suam
 „ ipsius curæ commiserunt. Didicisse
 „ hæc oportet prius, certe hic non ad-
 „ discere. Facilius tulero, cujusvis artis
 „ professorem diversis nonnunquam oc-
 „ cupari, quam hujus. Hi tamen expe-
 „ rimenta sua monumentis literarum ad
 „ usum posteris consignabunt; sciatque
 „ Medicus, quidquid temporis hujus unius
 „ studio substraxerit, tantum surripere ac
 „ furari sanitati suorum ægrotantium. „
 Quæ quidem critici Auctoris hujus verba
 non de studio, quod horis subsecivis fit,
 sed quod velut ex professo suscipitur, in-
 telli-

(y) *De Ordin. trad. Medic.*

telligenda esse existimo. Sunt quoque nonnulli, qui se & discipulos suos occupant plurimum studio Philosophiae aut e Cartesii ac Gassendi, aut recentiorum adhuc placitis de promtæ, vel suo in cerebro fabricatae. Hanc ita necessariam Medico esse volunt, ut sine illa proficere in arte sua nullatenus possit: disputant quoque, & quasi absque induciis altercantur cum alterius sectæ Philosophis, satagentes proscribere e mundo omnes formas a corpore distinctas, omnem illarum agendi virtutem, omnes qualitates, & quidquid Aristotelem & Peripatum olet. Non dispergo nunc de his, an rete aut perperam in Philosophia statuantur: illud contendeo, melius a Medico tempus collocatum iri, si e doctissimis libris ante ac post hæc bella scholastica scriptis morborum fontes, indolem, signa, effectus, remedia, herbarum maxime virtutes, & medendi methodum toto conatu addiscat. Parum interest, sive dicas, omnem vim sentiendi vivendique pendere a mechanismo, & ad hujus leges cuncta moveri, sive animam admittas, quæ his omnibus dominetur; parum refert, num medicamentorum virtus a corpusculorum situ, figura, mole, striis aut hamis, &c. proficiscatur, vel a qualitatibus her-

herbarum liquorumque: parum inquam hæc prosunt ad optatum ac præscriptum medicæ artis finem, parumque interest ægroti, an medicina morbum curandi vim exerceat per corpuscula vel per qualitates, modo curetur. Morbi perfectam cognitionem, salubritatem pharmacorum, medendi dexteritatem, vigilantiam, prudentiam, verbo sanitatem exspectat ille, nec Philosophi sistema aliquod, sed Medicæ industriam ac peritiam ut ære suo sibi comparet, solicitus est.

§. II.

Vitanda Medico.

LI.

Quæ facienda sint Medico vidimus, videamus etiam, quæ vitanda illi. Pretiosa sane res est sanitas, partim quia nulli pretio æquiparari potest, partim quia magno pretio est redimenda. Non tamen plerumque posterioris habetur ratio, modo prioris integritas obtineatur. Et profecto dignus est Medicus, qui rite suo fungitur officio, non solum salario labori admenso, sed & præmio curationis magnitudini ac felicitati respondente.

Ita

Ita novimus Veteres, præsertim Princes, Æsculapiis suis non aurea duntaxat dona obtulisse, verum etiam thura adolevisse, posuisse statuas, & templa ædificasse. Nihilominus caveat Medicus, ne lucro plusquam par est, inhiet, artemque quæ divini quid habet, hominibus venalem faciat. Duobus potissimum modis hac in re peccari ab eo potest: primo quidem procrastinatione in morbis curandis, dein liberalitate in præscribendis medicamentis. Non quia æger hic aut ille opulentus est, ideo curationis tempus est extrahendum, lentioraque adhibenda remedia, ut passus & merces augeantur. Multo minus lenis nimium medica manus, aut pharmaca debiliora sunt applicanda, ubi vis morbi severiora celerioraque exigit, ne postmodum per moras invalescat, oleumque & opera perdatur. Tentandum initio, inquit Vi-
ves, an non æger sanari possit victus ratione, hoc est, diæta: sin res poscat, adhibeantur medicamenta, sed simplicia: quodsi major sit morbi vis & varia, tum ad commista & fortiora transeundum.

Sed non solum avaritia peccare potest Medicus, verum etiam liberalitate, si nimirum singulis diebus utramque pa-

ginam impleat characteribus, signis, notisque medicis, & præscribat quidquid in pharmacopoliis prostat, suo & alterius grandi ac velut diviso inter se lucro, sed ægroti graviore damno. Multiplex medicina, sæpiusque frequentata, quum digeri a stomacho nequeat, noxios humores, malique vires magis magisque augere solet. Refert Poghius, (z) Angelum Episcopum Aretinum, quum æger decumberet, & a pharmacis abhorreret, ea omnia, quæ per plures dies a Medico præscripta fuerunt, in pelvim infundi, & clam sub lectica reponi jussisse: qui dum postea diætæ quam sibi indixerat, auxilio liberatus esset a febri, Archiatro fausta precanti, ac restitutam valetudinem porrectis potionibus medicis tribuenti, pelvim exhibuit, dicens: *Magnas enimvero & prius incompertas mihi vires habere videntur, quæ subtus lectum posita sanitati me restituerunt: quid factura, si cuncta potassem? immortalem me profecto reddidissent.* Fateri nihilominus oportet, non raro culpados hac in re potius esse ipsos ægrotos, quam Medicos, dum illi si non ex tempore sanentur, amaris horum aures querelis implent, suaque impatientia vim inferunt me-

medicæ manui ad porrigenda continuo
alia aliaque pharmaca, quibus bene sa-
ginati tandem Plutonis viictima fiant.

LII.


Cavenda quoque Medico est nimia
festinatio, qua vix ægro viso jam velut
e tripode pronunciatur de tota rei sum-
ma, de morbi genere ac indole, de ori-
gine ac effectis, de curationis totius ra-
tione, magna eloquentia, sed minore
prudentia. Medici etiam multum exper-
ti vix non semper magnam experiuntur
difficultatem in detegenda mali radice,
quando morbus non se ipsum prodit per
signa manifesta, quemadmodum in febri-
bus seu calidis seu frigidis contingit, aut
quando est inveteratus. Cui enim da-
tum est introspicere oculis intimos re-
cessus partium vitalium, venarum, fibra-
rumque tanta inter se varietate imple-
xarum? quam facile accidit, ut dum
doloris sensus in dextro latere, aut par-
te superiore deprehenditur, morbi sedes
in sinistro aut inferiore fixa sit? opus
igitur est, probe considerare singula, in-
quirere in symptomata, examinare par-
tium solidarum ac fluidarum motiones,
cognoscere caussas & circumstantias mor-


bi seu exteriores seu interiores, paroxysmos, ipsamque naturam quasi per occultas vias explorare, ac similes casus indagare in libris praftantium Medicorum, &c. priusquam serio quid statuantur, & initium curationi fiat: verbo, opus est studio, vigilantia, cautela, ne velut temere hostem aggrediari, errore postmodum non amplius emendando: studio, ut judicium Medici non divinationibus & conjecturis, sed solidis innittatur rationibus & experimentis jam factis: vigilantia, ut latentis mali conatus eludantur: cautela, ut dum uni parti laboranti succurritur, discrimin non transferatur in aliam.

Demum a nimia sui suæque scientiæ æstimatione ac obstinatione judicii, præsertim cum aliorum Collegarum contemptu conjuncta, sibi sedulo caveat Medicus, dum in commune consulitur de graviter ægrotantis salute. Conqueritur de nonnullis ævi sui Medicorum his verbis memoratus Ludovicus Vives: *Qua malignitate, quo ore id faciunt, quanto fastidio & vultuositate accipiunt alienam sententiam, qua auctoritate ac assertione proferunt suam; qui pertinacia tuetur quisque, quod semel confirmavit?*

vit? Cordatus sit in proferenda sententia, suaque mente aperienda, non tamen obstinatus. Nam plures oculi plus vident, ac non raro e pluribus opinionibus una consurgit, cæteris sanior atque salubrior. Secus timendum est, ne nullo cedere volente e vita cedere cogatur æger, Saguntum pereat, dum Romæ consulitur, atque triste illud occinnatur cum Hadriano Imperatore: *Turba Medicorum Cæsarem perdidit.* Magis adhuc inhumanum foret, si non pateteretur alios in consilium vocari, ubi nihil ipse solus proficit; aut iis vocatis ægroti lecto ac domui valediceret: pessimum vero, si de gravi aut proximo periculo clientem suum admonere negligenteret, ac dissimulatione uteretur, qua in grandius non solum corporis, sed & animæ periculum eundem conjiceret. Ut paucis dicam, debet sane Medicus patrio quodam affectu complecti illum, qui suæ se fidei committit, si viri boni ac probi officio velit fungi. Atque hæc sunt, quæ non tam meo, quam Clarissimorum Scriptorum, etiam Medicorum, judicio sensuque tum facienda tum cavenda illi, qui artem hanc profite-

fitetur, proposui, quæ si observet, immortaliter merebitur de humano genere, laboribusque suis in re tanti momenti exantlatis copiose benedicet Deus, qui solus est vitæ necisque Dominus.





INDEX RERUM ET VERBORUM LIBRI X.

L. Indicat Librum. N. Numerum
Libri.

A.

- Aeris ratio babenda illi, cui sanitas cu-
rae est.* L. 10. N. 40.
Aeris, ventorum, & plagarum conditio. L. 10. N. 40.
Industriæ quædam contra aeris injurias. L. 10. N. 40.
*Ægritudines animi Medicorum artem de-
ludunt.* L. 10. N. 34.
Ægrotantium diverse classes. L. 10. N. 36.

Index Rerum

- Æsculapius mortuos ad vitam revocat :* L. 10. N. 4.
ejus templum Romæ.
- Adfectionum pravarum indoles : pessimi eorum effectus :* L. 10. N. 35.
Præcipue affectiones iræ, tristitiae, metus, & hilaritatis seu obscuræ amoris describuntur. L. 10. N. 35.
- Adjumenta ad sanitatem conservandam.* L. 10. N. 36.
- Agyrtæ sunt proscribendi : medicamenta illorum pessima.* L. 10. N. 49.
- Alchymistæ frustra in medicamentum universale inquisiverunt.* L. 10. N. 25.
- Anathemata olim in templis Deorum suspensa pro sanitate obtenta.* L. 10. N. 5.
- Angelus Episcopus Aretinus ingeniose perstrinxit Medicum ob copiam medicinorum.* L. 10. N. 51.
- Animam esse primum fontem, & caussam principalem vitæ demonstratur.* L. 10. N. 14.
- Apollo primus medicinæ inventor celebratur.* L. 10. N. 4.
- Artuum humanorum descriptio.* L. 10. N. 18.
- Arteriarum, præcipue Aortæ, pulmonariæ, & Asperæ descriptio.* L. 10. N. 16.
- Asclepiadum familia, in qua ars medica fuit conservata.* L. 10. N. 4.
- Aver-*

Et Verborum Libri X.

Averroes & Avicenna in Hispania artem
medicam exercuerunt. L. 10. N. 6.

Averroes Stimulus Medicorum dictus.
L. 10. N. 6.

D. Augustini memorabile dictum de necessi-
tate ac voluptate in cibo & potu su-
mendo. L. 10. N. 29.

Auris & auricula: ejus partes, concha, tu-
bus acusticus, tympanum, cochlea, &c.
L. 10. N. 17.

In qua parte auris fiat auditio.
L. 10. N. 17.

C.

Cerebrum: cerebellum: utriusque partes,
meninges seu dura & pia mater, falx,
fornix, ventriculi, septum lucidum, tba-
lami nervorum opticorum, spina me-
dullaris, &c. L. 10. N. 17.

Cbylus: conversio cibi in chylum, & chy-
li in sanguinem: ubi de vena subclavia,
& vase Pequetiano. L. 10. N. 19.

Chymicæ Medicinæ descriptio.
L. 10. N. 12.

Ciborum quantitas an plus noceat, quam
qualitas? L. 10. N. 27.

Censura Medicorum de vario ciborum
genere. L. 10. N. 27.

De simplicitate viclus. L. 10. N. 27.

Index Rerum

- Circulatio sanguinis seu Cyclofis detecta & stabilita.* L. 10. N. 18.
- Clima : diversitas hominum sub diverso climate.* L. 10. N. 24.
- Commercium inter corpus & animam a temperamento multum dependet.* L. 10. N. 23.
- Comparatio machinæ corporeæ cum bologniano.* L. 10. N. 38.
- Consideratio quadruplex circa quantitatem & qualitatem remediorum.* L. 10. N. 48.
- Cor humanum : motus Systoles & diastro-les : ejus structura : Pericardium, auriculæ, septa, &c.* L. 10. N. 18.
- Cornarus (Ludovicus) nobilis Venetus, diæta exemplar illustre.* L. 10. N. 25.
- Corporis humani fabrica : ejus descriptio : Sceleton, caput, cranium, frons, facies, maxillæ, truncus, vertebræ, scapulæ, costæ, ossa, &c.* L. 10. N. 16.
- Ejus partes solidæ ac liquidæ quomodo debeant esse constitutæ ad vitam conservandam.* L. 10. N. 14.

D.

- Dentes : eorum numerus : Incisores, Canini, Molares.* L. 10. N. 16.
- Diaphragma, ejusque officium.* L. 10. N. 19.
- Dia-*

Et Verborum Libri X.

- Diæta plurimum juvat ad vitam prolongandam.* L. 10. N. 14.
Est universale remedium adversus morbos. L. 10. N. 25.
Argumenta, quibus diæta impugnatur, luculenter refutantur. L. 10. N. 26.
Absque diæta vana est fiducia in robore corporis. L. 15. N. 26.
Diætæ servandæ ratio. L. 10. N. 27.
Versatur circa cibum & potum moderandum. L. 10. N. 27.
Diætam qui servare non possunt, quomodo sint juvandi. L. 10. N. 30.
Diæta studiis deditorum. L. 10. N. 31.
Discrimen inter Physicam & Medicinam. L. 10. N. 10.

E.

- Empirica secta.* L. 10. N. 5.
Empiricam sectam quinam Veterum audaces fuerint. L. 10. N. 5.

F.

- Fabri (Honoratus) S. F. cyclosis doctrinam invenit.* L. 10. N. 18.
Faustinus Medicinam vocat artem sacram. L. 10. N. 2.
Febrium variæ species: intermittens, tertianæ, quartanæ, menstruæ, lentæ, acutæ, &c. L. 10. N. 45.

G.

Index Rerum

G.

- Galenus instaurat medicinam : ejus elogium.* L. 10. N. 6.
Galeni memorabile testimonium de diæta. L. 10. N. 25.

H.

- Harveus (Guilielmus) cyclofis doctrinam excoluit & perfecit.* L. 10. N. 18.
Helmontius famosus Medicus : ejus doctrina de Archeo. L. 10. N. 8.
Hippocrates medicinam primus in artem redegit : ejus encomium. L. 10. N. 4.
Hoffmannus (Fridericus) præstantissimus ultimorum temporum Medicus. L. 10. N. 9.
Ejus Opera Mechanico - Physica. L. 10. N. 9.
Homo arbor inversa. L. 10. N. 17.

I.

- Ingluvies fecit crescere morbos, & decrescere annos.* L. 1. N. 25.
Inventa nova insignia Medicorum recententur cum suis Auctoribns. L. 10. N. 9.
Intestina gracilia & crassa : duodenum, jejunium, ilion, cæcum, colon, rectum. L. 10. N. 19.

L.

Et Verborum Libri X.

L.

Lectularii Medici quinam sic dieti.

L. 10. N. 12.

*Lessius (Leonardus) S. J. egregium de
diæta tractatum edidit.* L. 10. N. 25.

Lien, ejus officium. L. 10. N. 19.

*Lingua, ejus munus: hyoides, frenum, af-
pera arteria, papilli nervacei.* L. 10. N. 17.

Quomodo efformetur vocis sonus.

L. 10. N. 17.

*Lingua tum ad gustum, tum ad loquaciam
servit.* L. 10. N. 17.

*Literati ut sanitatis curam gerant, interest
Reipublicæ.* L. 10. N. 31.

*Literatis necessaria est diæta, tum ne cor-
poris vires lœdant, tum ut mentem sere-
nam servent.* L. 10. N. 31.

M.

Machaon præstans Medicus. L. 10. N. 4.

*Manus cum suis partibus: brachio, cubito,
carpo, metacarpo, digitis.* L. 10. N. 16.

*Mechanismus merus in corpore humano
rejicitur: uti etiam in brutis.* L. 10. N. 14.

*Medica ars dominatur in mycrocosmum &
megacosmum.* L. 10. N. 2.

Fundio.

Index Rerum

- Functiones propriæ hujus artis sunt, investigare fabricam totius corporis : detegere caussas conservantes & destruentes sanitatem : præscribere remedia.* L. 10. N. 2.
- Medicina originem habet a Deo.* L. 10. N. 3.
- Medicina præservativa & reparativa.* L. 10. N. 3.
- Medicinæ reliquiae in Noemo & posteris conservatae.* L. 10. N. 3.
- Medicina Eclectica.* L. 10. N. 9.
- Medicina incrementum cepit ope chymicæ, pharmaceuticæ, Mechanicæ, & Anatomicæ.* L. 10. N. 9.
- Medicinæ definitio ex Hippocrate & ex Faschio.* L. 10. N. 10.
- De Medicinis universalibus quid sentendum.* L. 10. N. 10.
- Medicinæ partitio in Physiologiam, Hygieien, Pathologiam, Therapeuticen, & Symioticam.* L. 10. N. 11.
- Medicinae purgantes, earumque usus.* L. 10. N. 38.
- Medicamentum omne simul aliquid detrimenti affert sanitati.* L. 10. N. 38.
- Medendi methodus apud Assyrios.* L. 10. N. 5.
- Medici comparantur Etbicis, Regibus, & Deo.* L. 10. N. 1.
- Infi-

Et Verborum Libri X.

- Insigne testimonium de arte medica e
S. Scriptura.* L. 10. N. 1.
- Medici honore digni sunt, & quare.* L. 10. N. 1.
- Medici Roma ejeciti Catonis edicto : caussæ
bujus edicti.* L. 10. N. 6.
- Medici insignes Veteres & Recentiores.* L. 10. N. 8. & 9.
- Medici officium proprium.* L. 10. N. 10.
- Medicorum veterum methodus circa dia-
tam præscribendam.* L. 10. N. 29.
- Medicorum errores sunt gravissimi teste
Plinio,* L. 10. N. 49.
- Medicos cavillari non decet.* L. 10. N. 49.
- Medicus quæ & quanta scire debeat.* L. 10. N. 50.
- Medicus non debet occupare se aliis nego-
tiis.* L. 10. N. 50.
- Medicus non debet esse avarus in expetenda
mercende, nec liberalis in porrigenda me-
dicina.* L. 10. N. 51.
- Medico cavenda nimia festinatio in feven-
da de morbo sententia : jaclantia scienc-
tiæ : obstinatio proprii judicij : dissimu-
lacio periculi cum damno corporis &
animæ.* L. 10. N. 52.
- Medicus est adjutor naturæ : debet ante
omnia explorare naturam & vires ægro-
ti.* L. 10. N. 46.

Medi-

Index Rerum

- Medicus debet mederi cito, tuto, & jucunde.* L. 10. N. 46.
Medicinae operam dare maximi momenti negotium est. L. 10. N. 49.
De Medicamentis domesticis quid sentendum : Quilibet vult esse Medicus. L. 10. N. 49.
Mesenterium : ejus fabrica. L. 10. N. 19.
Methodica secta cum ejus principibus. L. 10. N. 5.
Modus triplex evacuandi corpus : per sudorem, per incisionem venæ, per cauteria & emplastra. L. 10. N. 48.
Molierii Medicorum mastygis miserum fatum. L. 10. N. 49.
Monachi Cassinenses prima fundamenta scholæ Salernitanæ jaciunt. L. 10. N. 7.
Morbi cholericorum, melancholicorum, sanguineorum & phlegmaticorum. L. 10. N. 22.
Morborum duplex fons ob neglectam dietam. L. 10. N. 27.
Morbos varios progignunt immoderatae affectiones animi, eosque vix sanandos. L. 10. N. 34.
Morbi capitis enumerantur. L. 10. N. 41.
Morbi exteriorum sensuum recensentur. L. 10. N. 42.
Morbi sensuum interiorum. L. 10. N. 43.
Mor.

Et Verborum Libri X.

- Morbi partium interiorum corporis.* L. 10. N. 44.
Morbi partium exteriorum corporis. L. 10. N. 45.
Morbi simplices, disparati, complicati, connexi. L. 10. N. 47.
Motus peristalticus. L. 10. N. 19.
Musculi, eorumque officium. L. 10. N. 13.

N.

- Nares cum earum instrumentis: osse cribiformi, & organo olfactus.* L. 10. N. 17.
Natura & ars in medendo convenire debent. L. 10. N. 46. & 48.
Natura & vires ægroti ante omnia debent explorari. L. 10. N. 45.
Nervi, corporis corporis humani compages. L. 10. N. 13.
Eorum officium, & varietas: nervi optici, gustatorii, olfactorii, par vagum, triginta paria. L. 10. N. 17.

O.

- Oculus, ejusque structura.* L. 10. N. 17.
Oculi tunicæ: Sclerotica, Adnata, Uvea, Retina, Arachnoides, Hyaloides. L. 10. N. 17.
Eiusdem humores: aqueus, crystallinus, vitreus. L. 10. N. 17.
Oculi iris & processus ciliaris. L. 10. N. 17.
BIBLIOTH. DOMEST. LIB. X. R Ejus-

Index Rerum

Eiusdem musculi: superbus, bumbilis, bibitorius, indignatorius, amatorius.

L. 10. N. 17.

In qua oculi parte fiat visio. L. 10. N. 17.

Ossa humani corporis. L. 10. N. 12.

Horum varia genera: os frontis, occipitis, os duplex syncipitis, os uniforme, sacrum, sternum, ilium, ischium, ossa vertebrarum, costarum, &c. L. 10. N. 16.

Ossium numerus secundum varios Auctores.
L. 10. N. 16.

P.

Pancreas, ejusque officium. L. 10. N. 19.

Paracelsus Medicus famosus. L. 10. N. 8.

Eius principia chymica; sal, sulphur, & mercurius. L. 10. N. 8.

Pericardium: ejus officium. L. 10. N. 18.

Pes cum suis partibus: tibia, femore, coxendice, tharso, metatharso, & patella soli homini propria. L. 10. N. 16.

Pharmacæ nimis fortia destruunt sanitatem.
L. 10. N. 38.

Phlebotomiæ indoles & prærogativæ ex schola Salernitana. L. 10. N. 36.

Hippocratis de phlebotomia sensus.
L. 10. N. 36.

Medicorum de hac varia opiniones.
L. 10. N. 36.

E³ Verborum Libri X.

Argumenta in utramque partem pro &
contra phlebotomiæ usum expenduntur.

L. 10. N. 36.

Phlebotomiæ bonum vel malum effectum de-
pendere a sanguinis copia vel inopia,
item a vasis latis vel angustis ostendi-
tur. L. 10. N. 37.

Podalirius cum reliquis priscis Medicis.
L. 10. N. 4.

Potus ratio quomodo habenda sit.
L. 10. N. 28.

De cerevisia, ejusque dotibus.
L. 10. N. 28.

De potionibus calidis. L. 10. N. 28.

Pulmones : lobi pulmonum. L. 10. N. 18.
Epiglotis & Oesophagus. L. 10. N. 18.

Q.

Quæstio : an aquæ usus præstet usu vini:
argumenta in utramque partem : conci-
lianturn ambæ partes. L. 10. N. 28.

Quæstio : unde dignosci possit quantitas &
mensura cibi ac potus. L. 10. N. 29.

Quæstio : an expediat unica vice corpus
reficere cibo. L. 01. N. 30.

R.

Rationalis sedæ Medicorum cum suis Au-
toribus. L. 10. N. 5.

Index Rerum

- Regula generalis circa quantitatem alimenti statui non potest.* L. 10. N. 29.
Regulæ optimæ circa mensuram victus et libello Exercitiorum S. Ignatii. L. 10. N. 30.
Regulæ de valetudine conservanda pro literatis hominibus. L. 10. N. 32.
Regulæ aliæ pro iisdem circa somnum, cibum, potum ac motum. L. 10. N. 33.
Remediorum duplex genus: alia evacuantia, & alia immutantia. L. 10. N. 48.
Renes, ubi de arteriis emulgentibus, pelvi renum, & ureteribus. L. 10. N. 19.
Rogerius I. Siciliæ Rex, & Salerni Princeps legem tulit, ne quis medicinam exerceret, nisi approbatus a Magistratu. L. 10. N. 7.
Rollonis Normannorum Ducis epitaphium. L. 20. N. 7.

S.

- Salomon medicæ disciplinæ scientissimus: ejus libri de medicina tractantes vel sublati, vel combusti.* L. 10. N. 3.
Sanctorii apophthegma de diæta. L. 10. N. 14.
Sanguis peccans fere omnium morborum origo. L. 10. N. 25.

San-

Et Verborum Libri X.

Sanguinis circulatio seu cyclosis.

L. 10. N. 18.

Sanitas est thesaurus hominis, qui non
estimatur, quamdiu possidetur.

L. 10. N. 1.

In quo consistat sanitas. L. 10. N. 15.

Qua ratione obtineatur temperies par-
tium solidarum & fluidarum.

L. 10. N. 15.

Schola Salernitana: ejus descriptio: celebris
liberibus scolæ. L. 10. N. 7.

Scholæ medicæ veteres tres: Cnidia, Rhodia,
& Coa. L. 10. N. 7.

Scriptores Medici Veteres. L. 10. N. 8.

Scriptores Medici Recentiores. L. 10. N. 9.

Sectæ diversæ Medicorum: Empirici, Me-
thodici, Dogmatici seu Rationales: Hip-
pocratici, Galenici, Chymici, Hermetici,
Paracelsistæ, Spagirici, Anatomici, Cli-
ci. L. 10. N. 12.

Sennertus (Daniel) Germanus, Medicinæ
Eclecticæ Auctor. L. 10. N. 9.

Somnus, unum e præcipuis adjumentis ad
sanitatem. L. 10. N. 39.

Somni spatium ac tempus. An somnus post
meridiem salutaris. L. 10. N. 39.

Stomachus: ejus officium & amplitudo.
L. 10. N. 19.

Index Rerum

- Spiritus animales & vitales dari demon-*
stratur. L. 10. N. 17.
Ad quid serviant spiritus. L. 10. N. 17.

T.

- Temperamenti sistema tum Veterum, tum*
Recentiorum. L. 10. N. 20.
Temperamentum simplex & compositum:
qualitates in composito prædominantibus. L. 10. N. 20.
Temperamenti sanguinei, Cholerici, Phle-
gmatici & Melancholici descriptio am-
pla. L. 10. N. 21.
Temperamenta quatuor a schola Salernitana
versibus descripta. L. 10. N. 21.
Temperamenta apta ad artes & scientias;
item ad officia Reipublicæ. L. 10. N. 23.
Temperamenti vis & virtus in functiones
corporis & animæ. L. 10. N. 22.
Morbi provenientes a quolibet tempera-
mento. L. 10. N. 22.
Temperamentum multis mutationibus obno-
xium. L. 19. N. 24.

V.

- Valvulae venarum.* L. 10. N. 18.
Venarum variæ species: vena cava, vena
pulmonum, vena porta, mediana, vena
pulsatiles, venæ coronariae. L. 10. N. 18.
Ventri-

Et Verborum Libri X.

- Ventriculus, ejusque officium & fabrica.
L. 10. N. 19.
- Viae geminæ ad animam in suis potentissimis
dirigendam & inclinandam ope tempe-
ramenti. L. 10. N. 28.
- Vini nullus usus ante diluvium.
L. 10. N. 28.
- Vinum dilutum suadet D. Paulus Timo-
theo. L. 10. N. 28.
- Vitæ lignum in medio paradisi.
L. 10. N. 30.
- Vitæ ratio in quo consistat: maxime pen-
det a motu & circuitione sanguinis.
L. 10. N. 13.
- Vitæ caussæ instrumentales sunt spiritus.
L. 10. N. 14.
- Vitæ longæ per diætam obtentæ exempla
in sacris & profanis hominibus.
L. 10. N. 25.
- Vita longior an sit exoptanda.
L. 10. N. 26.
- Vives (Ludovici) crisis de Medicis,
L. 10. N. 50.



